Notes du mont Royal
www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

# FLAVII
# IOSEPHI
# Operum

## TOMVS SECVNDVS.

Quo continentur

AVTHORIS VITA.

DE BELLO IVDAICO LIBRI VII.

DE ANTIQVITATE IVDAEORVM LIBRI II.

ΠΕΡῚ ΑΥ̓ΤΟΚΡΆΤΟΡΟΣ ΛΟΓΙΣΜΟΥ͂, ſeu de imperio rationis LIB. I.

*Cum* INDICE *locupletiſsimo.*

Ex Typographia
IACOBI STOER,
M. DCXI.

# FLAVII IOSEPHI vita.

EST [a] igitur non obſcurum mihi genus, ſed longa ſerie deductum à ſacerdotibus: & ſanè quemadmodum apud alios aliæ nobilitatis rationes cenſentur, ita apud noſtrates ius ſacrorum habere argumentum eſt illuſtris originis. ego autem non ſolum ex ſacerdotum oriundus ſum genere, verùm etiam ex vice prima inter viginti quatuor illas, quas inter non mediocre diſcrimen eſt. quin & ad regium genus per matrem pertineo: quandoquidem Aſamonæorum familia, ex qua illa prognata eſt, tempore longo regnum ſimul & ſacerdotium in gente noſtra obtinuit. nūc ipſam ſeriem propagationis pertexam. Atauus mihi fuit Simon Pſellus cognomine, quo tempore Hyrcanus Simonis Ponti filius eius nominis primus ſummum ſacerdotium tenuit. is [b] nouem filios habuit, & in his Matthiam Aphliæ cognomine hic ex Ionathæ ſummi Pontificis filia Matthiam Curtum ſuſcepit, primo anno Hyrcani principis. ex [c] eo Ioſephus progenitus eſt anno regni Alexandriæ nono: qui Matthiam genuit annum decimum regnante Archelao. is porrò me genuit imperij C. Cæſaris anno primo, ipſe autem filios habeo tres: quorum Hyrcanus maximus natus eſt anno quarto Veſpaſiani Principis, deinde ſeptimo luſtus, nono Agrippa. atque hanc generis noſtri ſucceſſio-

*a Genus Ioſephi.*

b Ἠφλία.

*c Ioſephus, Matthia filius imperij C. Cæſaris anno primo, mūdi verò 4001. à nato Chriſto 39. natus.*

nem vt eſt in publicas tabulas relata huc tranſcripſi, parui faciens improborum calumnias. Matthias autem meus pater, non nobilitate ſolum, ſed multo magis iuſtitia fuit celebratus, cuius nomine totis, quàm ampla ſunt, Hieroſolymis innotuit. ipſe [a] à pueritia cum Matthia eiuſdem parentibus nato incumbens diſciplinis egregiè profeci, viſúſque ſum intellectu & memoria præcellere: ita vt iam tum quartum decimum annum agens laudem conſecutus ex literarum ſtudiis etiam à Pontificibus & vrbis primoribus de penitiori legum ſenſu conſulerer. ſextum decimum deinde ingreſſus, decreui noſtratium ſectarum guſtum aliquem capere, quas tres eſſe diximus, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum: ſic enim faciliorem delectum fore putabam, ſi omnes cognoſcerem. itaque duro victu & magno labore per omnes tres tranſij, ac ne hac quidem experientia contentus, cùm audiſſem Banum quendam in ſolitudine viuere, amictum ſibi parantem ex arboribus, & ſpontè prouenientibus alimentis vtentem, crebriſq; nocte ac die lauacris frigidis ad caſtitatem tuendam, cœpi eius inſtitutum imitari: exactíſque in eius contubernio tribus annis poſtquam cōcupitis ſatis potitus ſum, in vrbem redij. Iámque vndeuiginti annos natus, ciuilem vitam aggreſſus ſum, addictus Phariſæorum placitis, proximè ad Stoicam apud Græcos ſectam accedentibus. Poſt [b] annum verò ætatis ſextum ſupra vigeſimum Romam mihi proficiſci contigit ob cauſam hanc. Quo tempore Felix in Iudæa procurator erat, ſacerdotes quoſdam mihi familiares, viros honeſtos & bonos, ob leuem quandam culpam vinctos Romam miſit, cauſam ſuam apud Cæſarē, quos

[a] *Ioſephus à pueritia diſciplinis incumbit.*

[b] *Ioſephus Phariſaicus.*

cùm audirem, ne in calamitate quidem conſtitutis curam pietatis excidiſſe, & ficis ac nucibus eos vitam ſuſtentare, veni Romam multis in mari exhauſtis periculis. merſa [a] enim noſtra naue in medio mari Adriatico, circiter ſexcenti per totam noctem natauimus, & diluculo demum Cyrenaicam nauem Deo fauente conſpicati, octuaginta fermè noſtrûm feliciore vſi natatu in eam recepti ſumus. ita ſeruatus, Dicæarchiam, ſiue Puteolos vt Itali vocare malunt, familiaritatem contraxi cum Aliturο mimorum actore, qui Iudæus genere Neroni carus erat: per quem vbi Poppeæ vxori Cæſaris innotui, confeſtim [b] per eam impetraui abſolutionem illis ſacerdotibus: prætérque magnis donatus ab ea muneribus in patriam reuerſus ſum. ibi deprehendi iam nouarum rerum ſtudia gliſcere, multóſq; ad defectionem ſpectare à Rom. pop. itaque [c] conabar ſeditioſos ad meliorem mentem reducere, proponens eis ob oculos cum quibus eſſent bellum geſturi, nimirum cum Romanis, quibus & peritia rei militaris, & felicitate eſſent impares: monebámque ne temerè ac imprudenter patriam, ſéque, & ſuos in extremum periculum coniicerent. ad hũc modum [d] vehementer dehortabar, infeliciſſimum belli finem proſpiciens. nec tamen quicquam profeci, tanta erat tum deſperatorum inſania. Veritus igitur, ne eadem continenter apud eos repetens in odium atque ſuſpicionem inciderem, quaſi fautor hoſtium, néve hoc nomine comprehenſus ab eis neci traderer, occupato iam caſtello Antonia ſeceſſi ad templum interius, deinde poſt occiſum Manahemum & primates latronum cohortis rurſum ex templo prodij, verſabárque cum Pontificibus & Phariſæorum primoribus, non mediocriter ſibi ti-

*[a] Ioſephi naufragiũ.*

*[b] Ioſephus ſacerdotibus captiuis abſolutionem impetrat.*

*[c] Iudæi ſeditioſi.*

*[d] Ioſephus dehortatus à ſeditione Iudæos, ſuſpectũ proditionis ſe facit.*

mentibus. videbamus enim populum arma corripuiſſe, ipſi inopes conſilij. & cùm non poſſemus tumultuatores compeſcere, quòd ea res non careret periculo, ſimulabamus quidem nos illorum ſententiam, ſuadebamus tamen vt ſe continerent, & hoſtem abire ſinerent, quòd ſperaremus Geſſium breui venturum cum validis copiis, & eum tumultum ſedaturum. At ille reuerſus, & in prælio cum multis occiſus, ſua clade extremam toti noſtræ genti calamitatem attulit: mox enim belli autoribus additus eſt animus, ſperantibus omninò Romanos deuincendos, quo tempore & aliud quiddam accidit. Syriæ vrbium circumuicinarum habitatores Iudæos intra eadem mœnia ſecum degentes comprehenſos vnà cum vxoribus & liberis trucidabant, ſine vllo crimine: quippe qui neque deficere à Romanis cogitauerant, neque contra ipſos priuatim aliquid moliti fuerant. Sed inter cæteros eminuit impia Scytopolytarum immanitas. Cùm [a] enim bello peterentur à Iudæis exteris, coegerunt ſuos Iudæos contra tribules arma ſumere, quod noſtris vetitum eſt legibus: horúmque ope hoſtes profligati ſunt. poſt victoriam autem obliti fidei ſociis inquilinis debitæ, omnes occiderunt, cùm eſſent multa hominum eius gentis millia. nec mitius tractati ſunt Iudæi Damaſci incolæ. Sed de his prolixius in libris de bello Iudaico narrauimus: nunc [b] ob hoc tantum earum cladium memini, vt ſciat lector noſtram gentem non vltrò, ſed neceſſitate compulſam ad id bellum deueniſſe. Itaque profligato Geſſio Hieroſolymitanorum primores cum viderent latrones cæteróſque pacis turbatores habere armorum copiam, veriti ne ipſi inermes inimicis obnoxij fierent, vt poſt acci-

*a Iudæis calamitates ab exteris & incolis illata.*

*b Iudæi neceßitate ad bellum coacti.*

dit: cognitóque quod Galilæa nondum tota à Romanis defeciſſet, ſed pars eius etiam tum quietè ageret: miſerunt eò me & alios duos ſacerdotes, viros honeſtos ac bonos, Ioazarum & Iudã, vt prauis illis hominibus perſuaderemus arma deponere: doceremúſq; ſatius eſſe committi ea gentis optimatibus. placere enim vt illi arma in futurum ſemper parata habeant. expectandum tamẽ dum certò ſciatur quidnã Romanis ſit animi. Cum his mandatis in Galilæam veniens reperi Sephoritas [a] in magno diſcrimine, tuentes patriam contra Galilæorum vim volentium eam diripere. quod perſtarent in amicitia Romani populi, fidémque ſeruarent Cenio Gallo tũ Syriæ præſidi. His ego ſecuritatẽ reddidi ſedata infeſta multitudine: permiſique vt quoties vellent in Dora (ea Phœnices vrbs eſt) ad ſuos mitterẽt, quos obſides Geſſio dederãt. Tiberiadis [b] autem incolas inueni iã arma ſumpſiſſe ob huiuſmodi cauſam. tres [c] in hac vrbe factiones erant: vna honeſtorum virorum, cuius caput erat Iulius Capella. Is & qui eũ ſequebantur, Herodes Miari, Herodes Gamali. Compſus Compſi: Criſpus enim huius frater olim à maiore Agrippa ei vrbi præfectus tum in ſuis poſſeſſionibus trãs Iordanem agebat: hi omnes inquam, autores erant manendi in fide Regis & Rom. pop. ſolus ex nobilitate Piſtus diſſentiebat in gratiã Iuſti ſui filij, altera factio è plebeis & obſcuris conſtans bellandũ decernebat. in [d] tertia Iuſtus eminebat Piſti filius, dubitare ſe de bello ſimulans, ſed interim occultè mutationem rerum cupiens, cuius occaſione ſperabat ſe conſecuturũ aliquam potentiam. itaque progreſſus in concionem conabatur docere multitudinem quòd eorũ ciuitas inter Galilæas ſemper ſit habita: quódq; metropolis eius regionis

*a Sephoritarum diſcrimen.*

*b Seditio in vrbe Tiberiade.*

*c Tres in vrbe Tiberiade factiones.*

*d Iuſti Piſti filij ad multitudinem oratio.*

fuerit Herodis tetrarchæ tempore, qui ipſius conditor Sephorim ei ſubiecerit, hanc præminentiam ei manſiſſe & ſub Agrippæ patris imperio, vſque ad Felicem Iudææ præſidem: nunc demum poſtquam Agrippæ iuniori à Nerone donata ſit, primatū amiſiſſe. mox enim Sephorim ex quo Romanis parere cœpit, reliquæ regioni præpoſitam: deſiuiſſeque apud ſe archiua & menſam regiam. His [a] & aliis multis in Regem iactatis cùm irritaſſet ad defectionem populum, aiebat nunc eſſe tempus correptis armis & aſſumptis in ſocietatem reliquis Galilæis primatum ſibi de integro vindicare omnibus fauentibus Sephoritarum odio, quos pertinaciter hærentes in Romanorum amicitia, libenter aliqua clade afficerent: iuuandóſq; eos conatus totis viribus. His dictis permouit multitudinē, quòd haberet popularem quādam facundiam, & ſaniora ſuadentes verborum præſtigiis vinceret. erat enim Græcarum diſciplinarum non imperitus, quibus fretus auſus eſt rerū tunc geſtarum hiſtoriam texere, quo veritati fucum faceret. Sed de huius nequitia, & quomodo vnà cum ſuo fratre patriam penè ſubuerterit, procedente ſermone narrabimus. Tunc [b] autem Iuſtus ciuibus perſuaſis, quibuſdam etiam coactis arma capere cum omnibus egreſſus, incendebat vicos Hippenorum atque Gadarenorū contiguos Tiberiadis agro & Scythopolitanorū finibus. quæ dum apud Tiberiadem geruntur, Giſchalorum ſtatus erat talis. Ioannes Leui filius videns ciuium ſuorum quoſdam ferocientes iugum Romanorum excutere velle, conatus eſt eos retinere in fide & officio: quod tamen nullo modo efficere valuit: interim vicini populi, Gadareni, Gabaraganæi, & Tyrij collectis validis copiis irruētes [c] expugnāt Giſchala, quibus

*a Iuſtus populum ad defectionem irritat.*

*b Iuſtus belli fax.*

*c Giſchala incenſa atque diruta.*

ius incenſis atque dirutis domum ſe reci-
t. qua iniuria Ioannes accenſus, ſuis omni-
armatis, conflictúque cum prædictis popu-
abito, inſtauratam patriã ſecuritatis cauſa
:it mœnibus. Gamala [a] autem in Romanorũ
perſtabant ob cauſam hanc. Philippus [b] Ia-
i filius, Agrippæ Regis præfectus, præter ſpẽ
n Regia Hieroſolymitana oppugnaretur e-
ſus in aliud periculũ incidit, ne iugularetur
Ianahemo & ſociis eius latronibus. ſeruatus
tamen interuentu cognatorũ quorundã Ba-
oniorũ, qui tum erãt Hieroſolymis, quintã-
e poſt die quo minus agnoſceretur mutato
pillitio fugã iniit. & cùm perueniſſet ad quẽ-
m ſuæ poſſeſſionis vicum ſitum propè caſtel-
m Gamala, accerſiuit aliquammultos ſibi ſub-
tos. interim diuinitus ei quiddam accidit,
uod alioqui perituro ſalutẽ attulit. nã repen-
na febre correptus literas ad Agrippã & Bere-
icem ſcriptas liberto cuidã commiſit, qui Varo
is redderet: huic enim tum Rex & Regina cu-
ndam regiam crediderant, ipſi Berytum pro-
:cti obuiam Geſſio. at Varus acceptis Philippi
literis, cognitóq; quòd euaſerit, tulit id grau-
er, veritus ne poſthac Rex & Regina non egẽ-
ent ſua opera, vt Philippo incolumi reddito.
producto [c] igitur ad plebem eum qui lite-
as attulerat, & accuſatum tanquam falſarium,
quódque fictum nuncium attuliſſet, Philippum
Hieroſolymis cum Iudæis cõtra Romanos bel-
lum gerere, ſupplicio tradidit, qui cùm non re-
uerteretur ad Philippum, ille cauſam neſciens
rurſus alium miſit cum literis, renunciatu-
rum quidnam priori accidiſſet, cûrve id diffe-
ret reditum. Verùm [d] & hunc Varus oppreſ-
ſit per calumniam. etenim à Cæſarienſibus Sy-
tis inſtatus fuerat vt aſpiraret ad ſublimia,

*a Gamala in Romanorũ fide perſtãt.*

*b Philippi Iacimi filij periculum.*

*c Varus literas ferentem, iniuſto ſupplicio tradit.*

*d Vari tyrãnis & regni cupido.*

dicentibus fore vt Agrippa interficiatur à Romanis ob rebellationem Iudæorum,& ipſi detur regnum debitum propter cognationem regiã. nam conſtabat Varum eſſe regij generis,deſcẽdentem à Sohemo tetrarcha Libani. Is [a] igitur ſpe tali elatus literas apud ſe retinuit, diligẽter cauens ne peruenirent in manus regias : obſeruabátq; omnes exitus, ne quis clàm elapſus renunciaret Regi quæ ibi fierent : multóſque Iudæorum interficiebat in gratiam Syrorum Cæſarienſium. quin & in Bathanæa Iudæos qui Babylonij vocantur, Bathyram incolentes decreuit ope Trachonitarum inuadere : vocatíſque ad ſe Cæſarienſibus Iudæis duodecim primariis, iuſſit eos profectos illo nunciare ſuo nomine tribulibus : relatum ſibi eſſe quòd bellum aduerſus Regem molirentur: ſed quia non liberet credere, denunciare vt arma ponerent. Id enim argumentum fore certiſſimum, quòd meritò fidem non habuerit falſis rumoribus.adiunxit,mittendos eſſe viros ſeptuaginta ex optimatibus, qui crimẽ obiectum diluant. fecerũt iuſſa illi duodecim: & cùm Bathyram veniſſent ad ſuæ gentis homines,eóſque nihil noui moliri inueniſſent,perſuaſerũt vt ſeptuaginta viros mitterent.hos aduentantes cum duodecim legatis Cæſaream, Varus ſtipatus regio milite in itinere exceptos vnà cum ipſis legatis interficit, ac mox pergit contra Iudæos incolentes Bathyrã.ſed præuenit eum quidã ex illis ſeptuaginta caſu ſeruatus, quo nuncio moniti arreptis armis receperunt ſe cum vxoribus & liberis in caſtellum [c] Gamala, relictis vicis refertis multis opibus,& pecorum ingenti numero. quo audito Philippus & ipſe eodem ſe contulit.ad cuius aduentum acclamabat populus vt ducem ſe eis præberet,& contra Varum ac Cæſarienſes Syros bellum

*a Varus tyrannidem & potentiã occultare conatur.*

*b Varus 70. Iudæos vnà cum ipſis legatis interficit.*

*c Iudæi in caſtellum Gamala ſeſe recipiunt, quò & Philippus ſe confert,*

bellum ſuſciperet. fama enim ſparſerat Regem ab his occiſum eſſe. Philippus verò comprimebat eorum impetum, collata in eos Regis beneficia in memoriam reuocans, tum quanta eſſet Romanorum potentia, quam rebellando irritare immani periculo non careat. atque ita tandẽ vicit huius viri conſilium. Rex porrò cũ ſenſiſſet Varum velle apud Cæſaream Iudæos cum vxoribus & liberis multorum milliũ explentes numerum interficere, miſit ei ſucceſſorem Equum Modium, vt alibi dictum eſt. Philippus [a] autem Gamala & vicinam regionem in Romanorum fide continuit. Interea cùm veniſſem in Galilæá, certis nunciis ſuper his rebus edoctus, ſcripſi Hieroſolymitanorum concilio, quid me iuberent ſciſcitans. reſcriptũ [b] eſt, vt in Galilæa maneam, eiúſque tutelæ prouideam, retentis etiam collegis, ſi illis ita viſum ſit. hi cum multũ pecuniæ paraſſent ex debitis ſibi ſacerdotij nomine decimis, ſtatuerant reuerti in patriam: ſed rogati, vt tantiſper mecum eſſent dum componeremus omnia, facilè aſſenſerunt. Cum his igitur à Sephoritarum vrbe profectus in Bethmaũtem vicum veni diſſitũ quatuor ſtadiis à Tiberiade: miſſóq; nuncio accerſiui ad me ſenatum Tiberiadis & primores eius populi qui poſtquam affuerunt, & inter hos Iuſtus quoq; , dixi me vnà cum collegis legatum à populo Hieroſolymitano miſſum ad eos, vt agerem de diruendo palatio, quod ibi à ſe exſtructum Herodes tetrarcha variis animaliũ picturis ornauerat, cũ id vetitum ſit noſtris legibus: rogabámque, vt nos quantocyus id facere permitterent. Quod cũ diu Capella & ſuæ factionis homines recuſaſſent, tandẽ magna contentione aſſenſum eis expreſſimus, interim dum nos ea de re contendimus, à Ieſus Saphiæ filius nautarum & inopũ

*a Gamala in Romanorum fide permanet.*

b *Ioſephus Hieroſolymitanorum cõcilij iuſſu in Galilæa manet.*

factionis dux aſſumpta aliqua multorum Galilæorum manu [a] palatiũ incenderat, ratus ſe bonam prædã inde paratuiũ, quia tecta eius quædam inaurata viderat: multáq; in eo diripuerũt præter animi noſtri ſententiam. nos enim poſt colloquium cum Capella & Tiberienſium primatibus apud Bethmauntem habitum in ſuperiora Galilææ nos recepimus. Tum Ieſu factio Grecos omnes eam vrbẽ habitantes interimũt, & quotquot inimicos ante id bellum habuerãt. His auditis, vehementer commotus deſcendi in Tiberiadem, dedíque operam, vt [b] quicquid poſſem recuperarem ex direptis Regis facultatibus, candelabra corinthia, menſas Regias, & rudis argenti ſatis magnam copiam. quæcunque autem recepi, Regi ſeruare ſtatui. accitis igitur decem è ſenatu potioribus & Capella Antylli filio, vaſa illa eis tradidi, interdicens, ne cuiquã præter me ea redderent. Inde [c] Giſchala cum collegis ad Ioannem veni, cogniturus quidnam haberet animi: móxque deprehendi eum rerum nouarum cupidum affectare tyrannidem. rogabat enim me, vt ſibi poteſtatem facerem exportandi frumentum Cæſaris, quod in ſuperioris Galilææ vicis erat repoſitum, dicens ſe id velle impendere in ſtructuram mœnium patriç. at ego cùm olfeciſſem eius conatus & conſilia, negabam me hoc ei permittere, cogitabam enim id frumentum, aut Romanis ſeruare, aut mihi ipſi, quòd haberem iam curam eius regionis à ciuitate Hieroſolymitana mihi commiſſæ. ergo cum nihil à me impetraret, collegas appellauit ſuper hoc negocio futurorũ improuidos, & auidos munerum. ab his largitione totum eius prouinciæ frumentum obtinuit, me non valente cõtra duos contendere. deinde altero dolo Ioannes vſus eſt. aiebat enim Iudæos Cæ-

[a] Palatium Tiberiade incenſum.

[b] Ioſephus Regis facultates recuperat.

[c] Ioannes in Giſchala.

ſatez Philippi incolas, Regis cui ſuberant mãdato intra mœnia cohibitos: querentes de olei puri penuria, id à ſe petere, ne præter morem cogantur vti Grçcorũ oleo. hæc autẽ nõ religionis reſpectu dicebat. ſed[a] vict[?] turpis lucri cupidine. ſciens enim apud Cæſarienſes ſextarios duos drachma vna venire, Giſchalis autẽ octuaginta ſextarios drachmis quatuor, totũ illud oleũ quod ibi erat ad eos tranſmiſit, me quoq; vt videri volebat permittente, nõ enim volẽs permittebã, ſed metu ne ſi obſiſterẽ lapidarer à populo. poſtquam igitur conceſſi, plurimum pecuniæ Ioannes quæſiuit hoc maleficio. ex[b] hoc oppido remiſit collegas Hieroſolyma, totúſq; poſt hac fui in comparandis armis & muniendis vrbibus. accitis deinde latronũ fortiſſimis, cũ viderẽ non poſſe illis arma adimi, perſuaſi multitudini, vt mercede eos cõduceret, cõducibilius docens habere eos ſtipẽdiarios, quàm ſinere agros incurſionibus eorũ diripi: atq. ita eos dimiſi ſacramento obſtrictos, ne niſi vocati in regionẽ noſtrã venirent, aut, niſi ſtipẽ debitã reciperent, iuſſos prius abſtinere à Romanis & accolis iniuriam. Sed ante omnia, curaui in pace cõtinere Galilæã. cúmq; [c] vellem optimates eius regionis circiter ſeptuaginta prætextu amicitię habere quaſi obſides fidei, adſcitos in amicitiã feci mihi comites & iudicandi ſocios, pleraque decernens ex ipſorum ſententia, in primis curans, ne temerè diſcederẽ à iuſtitia, vtve abſtinerẽ ab omni corruptela munerũ. agens [d] igitur annum trigeſimum, qua ætate etiã ſi quis tẽperet cupiditatibus illicitis, difficile tamen euadit calumniatorum inuidiam, maximè, ſi cum magna poteſtate ſit, nulli mulieri vim intuli, & nihil mihi obtrudi ſum paſſus. vt rei nullius indigus: imò ne debitas quidem mihi, vt Sacerdoti

*a Ioannes lucri cupidus.*

*b Ioſephus collegas Hieroſolyma remittit.*

*c Ioſephus Galilææ Præſes, 70 viros ſibi adiungit.*

*d Ioſephus triginta annos natus, nulli mulieri vim infert, & nihil ſibi obtrudi patitur.*

decimas accipere volui ab afferẽtibus. ex manubiis tamen partem poſt deuictos Syros accolas recepi, quas me Hieroſolyma miſiſſe ad cognatos fateor. Cúmq; bis Sephoritas vi expugnaſsẽ, Tiberienſes quater, Gadarenſes ſemel, & Ioannem ſæpius inſidias mihi molitum in poteſtatẽ redegiſſem, neq; de ipſo, neq; de vllo memoratorũ populorũ pœnas ſumere ſuſtinui, vt procedente ſtilo indicabimus, quãobrẽ opinor Deũ rectè factorũ inſpectorem, & tunc me eripuiſſe ex inimicorum inſidiis, & pòſt ſæpè è multis periculis, ſicut ſuo loco dicetur. Tanta [b] autẽ erga me erat vulgi Galilæorũ fides ac beneuolentia, vt expugnatis eorum oppidis, & in captiuitatẽ abductis familiis, non tantum gemitus ſuis calamitatibus, quantum curæ incolumitati meę tuendæ impenderent. hęc videntem Ioannẽ inuidia ſubiit: rogauítque me per literas, vt [c] ſibi permitterẽ valetudinis cauſa apud Tiberiadem foueri aquis calidis: quod ego nihil ſuſpicans libenter annui: quin & his quibus ciuitatis adminiſtratio per me fuerat credita ſcripſi, vt diuerſorium ei pararent & comitibus, rerúmq; ad cõmodum victum idonearum copiam. ipſe interim agebã in vico Galilææ, qui Cana dicitur. Ioannes [d] autẽ poſtquã venit Tiberiadem egit cũ oppidanis, vt obliti datæ mihi fidei ad ſe deficerent: multíq; preces eius libenter admiſerunt, homines gaudentes nouitatibus & mutationũ auidi, procliuéſque ad diſſidia: præcipuè verò Iuſto, & patri eius Piſto cupidè arrepta eſt deficiendi à me ad Ioannem occaſio, id tamẽ cõſilium interuentu meo feci irritum. Venerat enim ad me à Sila, quem Tiberienſibus ducem præfeceram, nũcius voluntatẽ eius populi indicans, & hortans vt properẽ: alioquin fore, vt ciuitas breui in aliorum poteſtatem veniat. lectis

*a Ioſephi erga hoſtes benignitas.*

*b Galilæorũ erga Ioſephũ fides ac beneuolentia.*

*c Ioannes apud Tiberiadem aquis calidis foueri cupit.*

*d Ioannis inſidiæ.*

igitur Silæ literis, cum ducentis viris per totam noctem iter feci, præmiſſo nuncio, qui aduentū meum ſignificaret Tiberienſibus. mane [a] autem iam ciuitati proximo plebs mihi venit obuiam, & Ioannes inter alios: qui cum valde turbato vultu me ſalutaſſet, veritus ne detecto ſuo conatu veniret in capitis periculū, properè ſe recepit in diuerſorium. cúmq; peruenißem in ſtadium, dimiſſis abſq; vno ſatellitibus, retentiſq; decem armatis, alloqui cœpi concionem Tiberienſium ſtans in celſo quodam ſuggeſto: hortabárque [b] eos ne tam citò deficerent, alioqui fore, vt breui eos fidei mutatæ pœniteat: neq; illis poſthac quenquam crediturum facilè, nimirum merito ſuſpectis ob hanc pręſentem perfidiam. Vix hæc effatus eram, cum audio ex meis quendam iubentem me deſcendere. non enim tempus eſſe conciliandæ Tiberienſium beneuolentiæ, ſed proſpiciendi incolumitati propriæ, & quomodo inimicos effugiam. Ioannes [c] enim poſtquam didicit me penè ſolum eſſe, delectos è mille ſuis militibus fidiſſimos miſerat iuſſos me interficere: iámq. veniebāt, & patratū fuiſſet facinus, niſi ocius deſiliuiſſem cū Iacobo ſatellite, ſubleuatus ab Herode Tiberienſi: à quo deductus ad lacū, nauigio quod fortè ibi nactus ſum cōſcenſo, euitatis præter opinionē inimicis peruenì Taricheas. eius vrbis incolæ audita Tiberienſium perfidia vehementer irati, correptis armis hortabantur, vt ſe contra eos ducerem, dicentes ſe velle vlciſci læſi ducis iniuriam: faciéſque hoc renunciabāt per totā [d] Galilæā, quò omnes citarent cōtra Tiberiada, rogātes, vt frequentes ad ſe cōuenirent, facturi de cōſilio ducis id quod viſum fuerit. itaq. magnus vndique Galilæorū armatorū cōcurſus factus eſt, poſtulātiū, vt Tiberiada inuaderē, expugnatāq. diruerē,

[a] Ioſepho Tiberienſis plebs obuiā veniit.

[b] Ioſephi ad ciues Tiberienſium adhortatio.

[c] Ioannes Ioſephum interficere conatur.

[d] Galilæi Tiberiada inuadere poſtulant.

& incolas cum totis familiis ſub haſta venderem. idem ſuadebant & amici qui ex ea vrbe euaſerant. ego verò non annuebam, indignum ratus ciuilis belli initium facere, & cenſens non debere eam contentionem vltra verba progredi: imò ne ipſis quidem aiebam id conducere, ſi Romanis inſpectantibus diſſidiis inteſtinis ſe conficiant: hac ratione demum Galilæorum ira placata eſt. Ioannes [a] porrò vbi non ſucceſſerũt inſidiæ, ſibi ipſi timuit, & aſſũptis armatis quos circa ſe habebat, relicta Tiberiade Giſchala petiit: inde ad me ſcripſit factum excuſans, quaſi non fuiſſet eius conſcius: rogabátq; nequid ſuſpicarer de ipſo, addens iuramenta cũ diris execrationibus, quò magis ſcriptis ſuis fidẽ aſtrueret. At Galilæi, quorũ è tota regione denuo magnus cum armis affluxerat numerus, ſciẽtes hominem eſſe malũ & periurũ, rogabant, vt ſe cõtra eum ducerẽ, promittentes funditus ſe deleturos & ipſum & patriam eius Giſchala. Actis igitur pro fauore gratiis, pollicitus ſum me eis non ceſſurũ officiis ac beneuolentia: rogabam tamẽ vt cohiberent ſeipſos, & darẽt mihi veniã quòd tumultus compeſcere mallem, abſq; cædibus conceſſerunt id mihi Galilæi, móxq; Sephorim venimus. oppidani autem, quibus decretum erat permanere in fide Romani populi, timentes meum aduẽtum, conati ſunt me in alia negocia diſtrahere, quò ipſi ſecurius degerẽt: miſſóque nuncio ad [b] Ieſum latronum principem agentem in confiniis Ptolemaidis, magnam pecuniam ei ſunt polliciti, ſi cum octingentorum manu quam alebat, bellum [c] nobis inferret, eis promiſſis motus voluit nos nec opinãtes & imparatos aggredi. Itaq; rogat me per nunciũ, vt ſibi ſalutandi me poteſtatem facerem. quo impetrato quandoquidem non præſenſeram inſidias,

*a Ioannes Ioſepho ſeſe purgat.*

*b Ieſus latronum Princeps.*

*c Ioſepho Ieſus bellum infert.*

dias, aſſumpta latronum cohorte iter fecit properè. non tamen ei ſucceſſit tentatum facinus. cùm enim iam non longè abeſſet, quidam ex eius cohorte transfuga conatum ipſius mihi indicat. quo audito proceſſi in forum, ſimulans me nihil ſcire de inſidiis, ſequente armatorum Galilæorum multitudine, & inter hos quibuſdam Tiberienſibus. deinde diſpoſitis qui ſeruarent vias iuſſi portarum cuſtodes, vt ſolum [a] Ieſum cum primis venientem intromitterent, cæteros excluderent, & ſi vi tẽtarent irrumpere, plagis repellerent, quibus imperata facientibus intrauit Ieſus cum paucis: iuſſúſque à me arma confeſtim proiicere, niſi interfici mallet, videns ſe cinctum armatis paruit. tum qui eum ſequebantur excluſi, vt ducem ſuum captum ſenſerunt, eueſtigio fuga ſe proripiunt: & ego ſeorſum abducto Ieſu dixi me non ignorare paratas mihi inſidias, quibúſve id factum ſit autoribus, daturum [b] tamen erroris veniam, ſi mutatus velit eſſe mihi fidus in poſterum, quo omnia pollicente dimiſi hominem, permiſſum quos prius habuerat colligere. Sephoritis verò pœnam interminatus ſum, niſi poſthac quieſcerent. Per idem tempus venerunt ad me duo Trachonitarum magnates Regis ſubditi, adducentes ſuos equites, & afferẽtes tam arma quàm pecuniam. hos [c] cùm Iudæi circumcidi cogerẽt, ſi velint inter ipſos verſari, non ſiui vt eis moleſti eſſent: aſſeuerans oportere ſuo quenque arbitratu, & non alieno impulſu Deum colere: neque cõmittendum vt eos ſecuritatis gauſa confugiſſe ad nos pœniteat: atque ita perſuaſa multitudine, viris illis conſuetum victum abundè præbui. Interea Rex Agrippa copias mittit duce Equo Modio, quæ Magdala caſtellum vt capiant: quæ tamen obſidere id non auſæ, infeſtis

a *Ieſus Ioſepho ar[...] pitur.*

b *Ioſeph[...] ga Ieſum [...] nignitat[...]*

c *Ioſeph[...] ligionis c[...] ra.*

a *Ebutius contra Ioſephum.* viis infeſtabāt potius Gamala. Ebutius a autem Decadarchus qui Magni campi præfecturam tenuit, audito quod in Simoniada vicum veniſſem ſitum in Galilææ finibus, diſtantem ab ipſo ſexaginta ſtadiis, noctu aſſumptis quos circa ſe habebat centum equitibus, & fermè ducentis peditibus, Gabēſiúmque auxiliis, nocturno itinere in eum vicum peruenit. contra quem cum meorum explicuiſſem validam aciem, conatus eſt nos in planiciem prolicere, fretus equitibus, nihil tamen profecit, quia moueri loco nolui, quippe videns eum potiores habiturum, ſi cùm eſſemus omnes pedites deſcenderemus in campeſtria. cúmque aliquandiu ſtrenuè repugnaſſet Ebutius, tandem animaduertens nullum eſſe eo loco vſum equitum, ſigno receptui dato Gabam b abiit infecto negocio, tribus tantum in pugna amiſſis, ego verò eueſtigio ſecutus ſum cum armatorum duobus millibus: cúmque veniſſem Beſaram, quod oppidum in Ptolemaidem ſitum cōfiniis ſtadio vigeſimo abeſt à Gaba, vbi tum erat Ebutius: diſpoſitis foris per vias ſtationibus militum, quò tuti eſſemus ab incurſu hoſtium, donec frumentum exportaremus, cuius magna vis è circumuicinis Reginæ Berenices vicis eò congeſta fuerat: oneratiſque plurimis camelis & aſinis quos in hoc adduxeram, tranſmiſi c frumentum id in Galilæam: abſolutóque hoc negocio, feci Ebutio pugnandi copiam, eam cùm ille detrectaret audacia noſtra territus, verti d me in Neapolitanum, audito quòd populatus ſit agrum Tiberienſium, is cū equitum ala præſidio erat Scythopoli. hoc igitur ab vlteriore Tiberienſium vexatione prohibito, totus eram in proſpiciendo rebus Galilææ. Cæterum e Ioannes Leui filius, quē diximus degere Giſchalis, poſtquam cognouit omnia mihi

b *Ebutius infecto negocio diſcedit.*

c *Ioſephus frumentū in Galilæam tranſmittit.*

d *Ioſephus in Neapolitanum.*

e *Ioannes Ioſephi ſucceſſus, animo fert iniquo.*

ex ſententia ſuccedere, amarſque me à ſubditis, & timeri ab hoſtibus, iniquo id tulit animo, ratúſque non eſſe in ſuam rem meam felicitatem non medioriinuidia tactus eſt: ſperánſque ſe meos ſucceſſus impediturum ſi ſubditorum in me concitaret odia. ſolicitauit Tiberienſes & Sepphoritas, ratus etiam Gabarenos ad ſe defecturos, quæ ciuitates ſunt in Galilæa præcipuæ. aiebat enim ſuo ductu longe melius adminiſtranda omnia & Sephorienſes quidẽ, quòd vtroque noſtrum poſthabito ad Romanos ſpectarent dominos, non aſſenſerunt homini. Tiberienſes autem defectionem quidem recuſabant, pollicebantur tamẽ illi quoque amicitiã. Gabareni *a* autem Ioanni ſe addixerunt, autore Simone ciue primario, qui Ioannis erat amicus & ſocius, nec tamen apertè ad eum defecerũt, quippe qui vehementer timebant Galilæos, iã ante experti eorum erga me beneuolentiam ſed clàm captabant occaſionem inſidiis. Et ſanè periculum adiui maximum de cauſa tali. Dabaritteni *b* quidam audaces iuuenes cum animaduertiſſent vxorem Ptolemæi procuratoris Regij cum magno paratu deducentibus aliquot equitibus per Magnum campum ex ditione Regia in Romanorum prouinciam iter facere, in eos repentè irruunt: fugatáque muliere quicquid ſecum portabat diripiunt: quo facto Taricheas vbi tum eram, quatuor mulos adducunt onuſtos veſtimentis variáque ſuppellectili: inter quam & vaſa erant argentea non pauca, & quingenti nummi aurei. Hæc ego ſeruare volens Ptolemæo, vt eiuſdem tribus homini, quòd lex noſtra ne inimicos quidé tribules fraudare permittat, dixi his qui attulerant oportere ea ſeruari, vt diuenditorum preciũ cõferatur in Hieroſolymitanæ vrbis mœniorum fa-

*a Gabareni Ioanni ſeſe addicunt.*

*b Dabaritteni Ptolemæi vxorẽ ſpoliant.*

*c Ioſephus Ptolemæo ſpolia reddere conatur.*

bricam.id iuuenes illi permoleſtè tulerunt, non admiſſi in partem prædæ, vt ſperauerant. quapropter ſparſi per vicos Tiberiadis rumorem diſſeminant, velle me Romanis eam regionem prodere. finxiſſe enim prædam deſtinatam eſſe præmuniendis Hieroſolymis, re autem vera in hoc eam ſeruare, vt rapto domino ſuo reſtituā. qua quidem in re nil eos fallebat opinio, poſt diſceſſum enim iuuenum accitis duobus primariis ciuibus, Daſsione & Iannæo Leui filio, Regi amiciſſimis, mandaui eis, vt raptam ſuppellectilem ad illum tranſmitterent, mortem interminatus ſi hoc ſecretum proferrent apud quenquam mortalium. Sed *a* cùm Galilæos rumor perſuaſiſſet, me velle Regionem eorum Romanis prodere, omnibus incitatis ad ſumendum de me ſupplicium, Tarichearæ quoque fidem habentes iuuenum commentitiis ſermonibus, ſuaſerunt meis ſatellitibus & militibus reliquis, vt me dormientem deſerentes in circum venirent, cum cæteris ibi de abrogando mihi imperio conſultaturi, qui perſuaſi multos ibi iam ante congregatos inueniunt, vnanimiter vociferantes vindicandum eſſe in proditorem Reipublicæ. Sed *b* præcipuè inſtigabantur à *Ieſu Saphiæ filio, qui tum ſummum magiſtratū gerebat, vir malus, & natus mouendis tumultibus, ſeditioſúſque vt qui maximè. Is tum præ ſe ferens Moſis tabulas in medium progreſſus, ſi veſtri, inquit, nulla cura tangimini, at ſacratas has leges nolite contemnere, quas publico odio proſequendus Ioſephus iſte veſter dux ſuſtinuit prodere, quantumuis atroci pœna digniſſimus. Hæc effatus & exceptus acclamatione populi, aſſumptis armatis ad ædes vbi diuerſabat properat cum certo interficiendi me propoſito, me nihil tumultus ſentiente & quieſcente interim

*a Seditio aduerſus Ioſephum.*

*b Ieſus Saphiæ filius, inſidias Ioſepho ſtruit.*

**Græc. text. Ieſu ſapida pai.*

interim præ laſſitudine: cùm ſubitò [a] Simon vnus ſatellitum, qui tum ſolus mecum permãſerat, viſo incurſu ciuium me excitat: indicatóque inſtante periculo ſimul hortatur, vt potius generoſi ducis more vitam abrumpam, quàm inimicorum arbitrio moriar. Hæc illo monente, ego ſalute meà Deo commiſſa mutatáque veſte in cœtum atratus prodii, & ſuſpenſum à ceruice geſtans gladium, per viam illam qua neminem aduerſariorum occurſurum ſciebam in circum veniens viſendum me præbui, in faciem proſtratus & terram rigans lacrymis, ita [b] vt omnes mouerem ad miſericordiam. cúmq; ſenſiſſem mutatos affectus populi, conatus ſum eorum ſententias ſcindere, prius quàm armati reuerterent à meis ædibus: faſſúſque me non alienum obiecto crimine, poſtulabam, vt primum diſcerent, in quem vſum ſeruarem relatam ad me prædam, ac tum demum ſi liberet me interficerent, multitudine verò iubente me dicere, armati reuerſi & me conſpicati irruunt occidẽdi animo. ſed cohibiti plebis vocibus, repreſſerunt [c] ſuum impetum, rati poſt confeſſionem proditionis & ſeruatæ Regi pecuniæ habituros ſe meliorem occaſionem patrandi facinoris. Itaque facto ſilentio, Viri fratres inquam, ſi vobis videor mortem commeritus, nec ipſe mori recuſo: volo tamen ante exitium veritatem apud vos proloqui. Equidem cùm animaduertiſſem ciuitatem hanc commodiſſimam hoſpitibus, multóſque relictis propriis patriis delectari veſtra conſuetudine cuiuſuis fortunæ futuros ſocios, decreueram mœnia vobis condere ex iſtis pecuniis, propter quas ad hoc deſtinatas exorta eſt tanta veſtra indignatio. ad hæc verba Tarichenſes & hoſpites conclamant, gratias mihi agentes & iubentes me bo-

*a Simon ſatelles, Ioſephũ excitat.*

*b Ioſephus populum ad miſericordiã monet.*

*c Ioſephi oratio & cõfeſſio coram aduerſariis.*

no eſſe animo. Galilæi verò atque Tiberienſes perſtabant in iracundia. factúmque eſt inter ipſos diſſidium, his minantibus pœnam, illis contrà ſecurum me eſſe iubentibus, poſtquam autem & Tiberienſibus promiſi me ædificaturum mœnia & aliis opportunis ciuitatibus, fidem habentes pollicitis dilabebantur ad ſuum quiſque domicilium: & [a] ego præter omnem ſpem elapſus è tanto periculo, cum amicis & viginti armatis domum reuerſus ſum. Sed [b] denuò latrones & ſeditionis autores, timentes ſibi ne peccati pœnam luerent, cum ſexcentis armatis concurrunt ad meum diuerſorium, incendendi illud animo, quorum aduentu nunciato ratus turpe fugere, decreui vti contra eos audacia. clauſis igitur meo iuſſu ædium foribus, ipſe è cœnaculo poſtulabam, vt ad me aliquot mitterent, accepturos ob quam tumultuabantur pecuniam, ne quid habeant quod ſtomachentur amplius. quo [c] facto turbulentiſſimum ex his qui intrò recepti ſunt, verberibus cæſum & alteram manum abſciſſam, ſuſpēſámque à collo gerentem, rurſum eieci, rediturum ad eos qui ſe miſerant, at illi mirum in modum ſunt territi: timentéſque ſimilem pœnam ſi ibi morarentur diutius, quippe qui putabant me plures domi habere armatos, ſubito omnes diffugiunt: ſicque hoc ſtratagemate alteras euaſi inſidias. Nec [d] tamen defuerunt, qui rurſum concitarent vulgum, negantes magnates illos Regios, qui ad me confugerant oportere viuere, niſi tranſirent ad eorum ritus, à quibus ſalutem peterent: criminabantúrque eos, vt Romanorum ſtudioſos & veneficos: móxque tumultuabatur multitudo decepta à loquentibus ad gratiam. Quo comperto ego cōtrà docui populum, non eſſe exagitādos qui ad ipſos

a *Ioſephus inſidias euadit.*

b *Ioſephus in alio periculo verſatur.*

c *Ioſephi ſtratagema.*

d *Alia vulgi ſeditio.*

ipſos confugerint: cauillatus in vanitatem obiecti veneficij fruſtra Romanos tot legiones alere, ſi veneficorum opera poſſint victoriam conſequi. His verbis pauliſper placati, vbi digreſſi ſunt rurſum in magnates illos irritabantur à quibuſdam perditis, vt etiam armati ad eorum ædes, quas Taricheæ habitabant concurrerent, interfecturi homines. quod vt audiui, valdè timui ne hoc ſcelere patrato nemo poſthac ad nos confugeret. quamobrem aſſumptis quibuſdam aliis properè veni ad eorum diuerſorium: quo clauſo, & perducta inde foſſa ad lacum, accitum nauigium cum eis inſcendens, traieci in Hippenorum confinia: & [a] reddito eis equorum precio, quos in tali fuga abducere non poterant, dimiſi multum rogatos, vt præſentem neceſſitatem forti ferrent animo: nam & ipſe permoleſtè ferebam, cogi me rurſum in hoſtilem terram exponere viros, qui ſemel ſe meæ fidei commiſerant. ſatius tamen ducens Romanorum manu eos, ſi ita contingat, cadere, quàm in mea ditione per ſcelus opprimi. Illi tamen ſeruati ſunt. Rege concedente errati veniam. Et horum quidem hic fuit exitus. Tiberienſes [b] porrò per literas Regem rogauerunt, vt in eorum agrum præſidium mitteret, defectionem pollicentes. Quo facto, quamprimum ad eos veni, poſtulabant, vt mœnia ſibi promiſſa exſtruerem. audiuerant enim Taricheas iam cinctas mœnibus, ego verò annui, & congeſta vndique materia iuſſi architectos opus id aggredi. Poſt [c] triduum verò me à Tiberiade digreſſo Taricheas triginta ſtadiis inde diſſitas, fortè fortuna conſpectus eſt Romanorum equitatus non longè à Tiberiade iter faciens, quos [d] oppidani rati eſſe Regios, mox in Regem honorificas voces, in

[a] *Ioſephus Regios clàm dimittit.*

[b] *Tiberienſium ad Agrippam litera.*

[c] *Septē vel octo ſtadia ferè miliare Germanicū conſtituunt.*

[d] *Seditio & defectio Tiberienſium.*

me contumelioſas iactare auſi ſunt: mòxque curſim quidam veniens renunciat illorum motum ad defectionem ſpectantium: id quod me valde perterruit, quòd inſtãte tum Sabbato armatos à Taricheis domum dimiſerã, quo quietius Taricheatæ ſine militari turba feriarentur: & alioquin quoties eo loco degerem ne ſatellitio quidem vtebar, fretus probata ſæpe incolarum beneuolentia. itaque cum ſeptem tantum milites & aliquot amicos circa me haberem, anceps eram conſilij. nam reuocare copias ſub veſperam non placebat, quibus poſtera die neque neceſſaria arma tractare permittebatur noſtris legibus. quòd ſi Taricheatas eorúmque hoſpites prædæ ſpe inuitatos illò ducerem, videbam in eis non eſſe ſatis virium, & res dilationem non patiebatur, quòd timerem ne à Rege miſſi occupata vrbe me excluderent. quapropter decreui vti ſtratagemate. Eueſtigio amicorum fidiſſimos Taricheatarum portis appoſui, neminem permiſſuros egredi: conuocatíſq; familiarum primatibus, ſingulos iuſſi nauem in lacum deducere, eáque cum gubernatore inſcenſa me ſequi. Tum [b] & ipſe cum amicis & ſeptem illis militibus conſcenſo nauigio petebam Tiberiada. At Tiberienſes vt cognouerũt nullas à Rege venire copias, lacum verò totum refertum nauibus, attoniti & ciuitati ſuę timentes, ac ſi naues militem veherent, mutauerunt priorem ſententiam. Itaque poſitis armis obuiã mihi cum vxoribus & liberis prodeunt, excipiẽtes, me fauſtis acclamationibus, quòd putarent me non ſenſiſſe ipſorum propoſitum, rogantéſque vt propitius in eorum vrbem adueniam. ego autem propius accedens iuſſi gubernatores longè à terra ancoras iacere, ne appareret oppidanis nauigia eſſe inania: ipſe naui vna ad-

*a Ioſephus propter Tiberienſes periculũ expoſitus.*

*b Ioſephus conſcenſo nauigio Tiberiada petit.*

uectus proximè, cum eis expoſtulabam quòd tam ſtultè ad violandum fidem mihi datam eſſent faciles: deinde pollicebar certam veniam, ſi decem primates ad me mitteręt: quo ſine mora facto, in nauem impoſitos miſi Taricheas in cuſtodiam. atque hac arte alios poſt alios accipiendo paulatim vniuerſum ſenatum & parem ex primoribus populi numerum illò tranſuexi. Tũ reliqua multitudo, vt vidit in quanto eſſet periculo, rogabat, vt tumultus auto ẽ ſupplicio traderem. is [a]Clitus dicebatur, audax & temerarius iuuenis. ego qui nefas ducebam virum tribulem interficere, & tamen neceſſe habebã pœnam de eo ſumere, Leuiam vnum è ſatellitibus iuſſi, vt accedẽs ei manum alteram præcideret: qui cùm non auderet ſolus in tantam multitudinem progredi, ne timiditas eius ſentiretur à Tiberienſibus vocato Clito, quoniam inquam meritus es ambas manus amittere homo in me tam ingratus & perfidus, eſto nunc tibi ipſe carnifex, ne tibi cunctãti grauius inferatur ſupplicium. cúmq; multis precibus alteram manum ſibi donari peteret. ægrè annui. móxque libenter, ne ambabus mulctaretur, arrepto [b]cultro ſiniſtram ſibi præcidit. atque hoc modo is tumultus eſt cõpoſitus. Me deinde reuerſo Taricheas, Tiberienſes, vt cognouerunt ſtratagema quo vſus ſum, mirabantur quòd abſq; cæde ſedauiſſem ipſorum veſaniam, ego [c] autẽ accitis è cuſtodia Tiberienſibus, & in his Iuſto patréque eius Piſto, adhibui eos conuiuio: & inter epulãdũ dixi me nõ ignorare Romanos potẽtia mortales omnes præcellere, diſſimulare tamen propter latronum multitudinem: ſuadebámque, vt & ipſi idem facerent expectantes meliora tempora, neq; interim grauatim ferrent meum imperium, quandoquidem non daretur alius dux

a *Clitus Tiberiade ſeditionis autor.*

b *Clitus ſiniſtram ſibi præcidit.*

c *Ioſephus Tiberienſes ex cuſtodia dimittit.*

commodior. Iuſtum etiam admonebam, quòd antè quàm ego Hieroſolymis veniſſem, Galilæi fratri eius manus amputauerint, obiectis fictitiis literis, & falſi crimine: quódque poſt Philippi diſceſſum Gamalitæ à Babyloniis diſſidentes Charetē occiderint ipſius Philippi conſanguineū, & quòd Ieſum eius fratrē, ipſius Iuſti ſororiū, æqua & modica pœna affecerint. His allocutus eos in conuiuio, iuſſi mane Iuſtū cum ſuis

*a Philippus, Iacimi filius.*

abire liberos. Paulo [a] autē ante Philippus Iacimi filius à Gamala talem ob cauſam abierat. Quamprimū didicit Varum à Rege Agrippa defeciſſe, ſucceſſorémq. ei miſſum Modium Equū virum ſibi amicum, de ſuo ſtatu ſignificauit ei per litteras. quibus ille receptis perlibenter cognouit Philippum eſſe incolumem: eáſq. literas ad Regem ac Reginam miſit tum agentes apud Berytum. Tum Rex, vt intellexit falſum fuiſſe rumorem quòd Philippus ducem de ſe Iudæis contra Romanos præbuerit, miſit equites, qui

*b Comitas & benignitas Agrippa erga Philippum.*

** Hedio, Gadara.*

eum ad ſe deducerent: venientémq; [b] cōplexus comiter, oſtentabat hominem Romanis ducibus, hunc eſſe dicēs quē fama defeciſſe à Romanis vulgauerat: móxq. iubet eum aſſumpta manu equitum properare in caſtellum *Gamala, & abductis inde domeſticis Babylonios in Batanæam reſtituere, daréque operam modis omnibus ne quid noui moliantur ſubditi. His mandatis à Rege acceptis Philippus ad exequendū ea properat. Ioſephus autem quidā medicaſter

*c Seditionē in Gamala Ioſephus cōcitat.*

adſcitis iuuenum audaciſſimis, & [c] cōcitatis Gamalienſium primatibus, ſuaſit populo, vt à Rege deficerent, armíſque arreptis vindicarent ſe in libertatem priſtinam: atq. ita alios pertraxerunt in ſuam ſententiam, cæſis qui auderent contra hiſcere. in his periit & Chares Ieſúſque huius cōſanguineus, & ſoror Iuſti Tiberienſis.

ſienſis,ſicut ſupra diximus. Poſt hæc me rogarunt per literas, vt præſidium ad ſe mitterem, & ſimul qui oppidum eorum cingant mœnibus: ego verò vtrunque annui. per eoſdem dies Gaulanitis quoque regio a ab Agrippa deficit vſque ad vicum Solymam. Soganni etiam & Seleuciæ locis natura munitis addidi mœnia. Superioris etiam Galilææ vicos quamuis prærupto ſitu muniui ſimiliter, Iamniam Amerytham, Charabẽ. In Galilæa verò permuniui oppida Tarichæas, Tiberiada, Sephorim: vicos, Arbelorum ſpeluncam, Berſobe, Selamen, Iotapata, Capharath, Comoſogana, Nepapha, & mõtem Itabyrium, in ea loca & frumenti magnã vim condidi, & arma quibus ſe tuerentur conculi. Interim Ioannes Leui filius in dies maiori me proſequebatur odio, meos ſucceſſus ferens grauiter, eúmque decreuiſſet omnino me de medio tollere, poſtquam Giſchala patriam cinxit mœnibus, Simonem ſuum fratrem cum centum militib. mittit Hieroſolyma ad Simonem Gamalielis filium, rogans, vt b cum Hieroſolymitana ciuitate ageret, vt mihi abrogato imperio, rebus Galilææ Ioannem ipſum ſuffragio communi præficerent. hic c Simon Hieroſolymitanus erat illuſtri cũ primis genere, Phariſæus ſecta, quæ quidem videtur exactius tenere leges patrias: inſigni vir prudentia, & qui labantes res poſſet conſilio ſuo in integrum reſtituere: vtebatúrq. iampridem Ioannis amicitia, mihi infenſus tunc temporis. Motus igitur amici precibus ſuaſit pontificibus Anano & Ieſu Gamalæ filio, aliiſque ſuæ factionis hominibus, vt me creſcentem tollerent, nec paterentur ad ſummum gloriæ faſtigium euadere, id enim fore ipſi quoq. conducibile, ſi amouerer à præfectura Galilææ. Sed non eſſe cunctandum

*a Multi Iudai à Romanis deficiunt.*

b *Ioannes Ioſepho imperio abrogato Galilaa praeſſe cupit.*

c *Simonis aduerſus Ioſephum conſilium.*

Anano & cæteris, ne hoc conſilio prodito vrbem inuadam cum exercitu. Hæc conſulenti Ananus pontifex retulit non eſſe id facile, cùm tam multi Pontifices & primores populi teſtes ſint mihi benè adminiſtratæ prouinciæ: nec æquum eſſe accuſare eum cui nihil poſſis obiicere. Tum Simon iubet illos totam rem ſilentio tegere: ſibi curæ futurum, vt quam primùm à Galilæa ſubmoueat: accitóque fratre Ioannis, mandauit ei vt munera ad Anani amicos mitteret: ita enim fortè citius conceſſuros in ſuam ſententiam. Sic [a] tãdem Simon effecit quod voluit. Ananus enim & ſocij corrupti largitionibus, conſilia de abroganda mihi præfectura cõferunt, è quibus nemine alio conſcio: itaq; placuit mittere viros præſtantiores genere, eruditione pares. horum plebeij erant duo, Ionathas & Ananias Phariſæi: tertius verò Iozarus ſacerdotalis generis, Phariſæus hic quoque. Simon verò ex ordine Pontificum, omnium natu minimus. hos iuſſerunt aduocata Galilæorum cõcione quærere cur ita me diligant. quòd ſi reſpondeatur quia Hieroſolymita ſim: dicere ſibi quoque Hieroſolyma eſſe patriam. Sin autem peritiam legum in me probent, dicendum nec ſibi ignotos eſſe ritus patrios, quòd ſi ſacerdotij nomine me diligi dixerint, referendum ex ipſis quoque duos fungi ſacerdotio. ita inſtructi collegæ Ionathæ argenteorum quadraginta millia ex ærario accipiunt. Et quia per idem tempus Ieſus quidam Galilæus cum ſexcentorum militum cohorte Hieroſolyma venerat: accitum hunc numerato trium menſium ſtipendio conducunt, iuſſum ſequi Ionatham & collegas, imperatáque eorum facere: eíſque adiungunt trecentos ciues mercede autoratos ſimilites. His [b] ita paratis legati proficiſcũtur, com.

a *Aliud Simonis contra Ioſephum conſilium.*

b *Legati cũ militibus ad Ioſephum miſſi.*

mirante Ioannis fratre cum ſuis centum militibus, mandatum habentes ab his qui ſe miſerāt vt ſi ſponte ab armis diſcederem, viuum me Hieroſolyma mitterent: ſi repugnarem, freti mandato impunè interficerent. eiſdem etiam literæ ad Ioannem datæ ſunt, hortantes vt ſit paratus bellum contra me gerere. quin & Sephoritis, Gabaritis atque Tiberienſibus autores fuerunt, vt Ioanni contra me ferrent auxilia. Hæc [a] cùm pater meus ex Ieſu Gamalæ filio cōſiliorum omniū participe mihíque amico cognita ad me perſcripſiſſet, malè me habuit ingratitudo ciuium per inuidiam occidere me volentium, nec minus ægrè ferebam vocari me ſoliciti parentis precibus, dicentis cupere ſe meum conſpectum ante obitum. quapropter [b] amicis aperui omnia, addens poſt triduum relicta præfectura abiturum me in patriam. quo audito mœſti omnes & flentes deprecabantur ne ſe deſeram perituros ſi deſtituantur meo imperio, cúmque apud me propriæ ſalutis quàm precum illarum potior haberetur ratio, veriti Galilæi ne ob meum diſceſſum contemnerentur à latronibus, dimiſſis nunciis per totam regionem ſuam indicant me velle diſcedere. quo audito multi vndique conuenerunt cum vxoribus & liberis non tam mei deſiderio vt opinor, quam metuentes ſibimet. me enim præſente in tuto ſibi eſſe videbantur. Venerunt igitur ad me populariter in Magnum campum, vbi tum agebam apud vicum Aſochim: quo [c] tempore mirabile ſomnium noctu mihi obuerſatum eſt. cùm enim in cubili eſſem mœſtus & turbatus ob recens acceptas literas, viſus eſt mihi vir quidam adſtans dicere: Deſine ô bone triſtari & metuere. nam hæc triſtia magnum te reddēt ac fortunatum per omnia. ſuccedent enim ſe-

a *Ioſepho parens rem totam ſignificat.*

b *Ioſephus ex Galilæa diſcedere cogitat.*

c *Ioſephi ſomnium mirabile.*

liciter non hæc ſolum,ſed & multa alia. quare perdura memor quod oporteat te & cum Romanis bellum gerere. Poſt hoc ſomnium ſurrexi volens in campum deſcẽdere.tum [a] verò me conſpecto multitudo Galilæorum mixta mulieribus & pueris proſtrata in faciem cũ lachrymis ſupplicabat ne ſe imminente hoſte deſerã, néve medio diſceſſu regionem ſuam prodam inimicorum iniuriis. & cum precibus nihil agerent, adiurabant me vt maneam, iactantes multa conuicia in Hieroſolymitanum populũ, qui ſe in pace nõ ſinerent. Hæc [b] audiens & videns plebis mœſticiã flexus ſum miſericordia, non indignum ratus pro tanta multitudine vel apertum ſuſtinere periculum, itaque manſurum me annui, & iuſſis adeſſe ex omni eo numero quinque millibus cum armis ac commeatibus, cæteros dimiſi in ſuam quenque patriam. cúmque præſto eſſent illa quinque millia, aſſumptis his & tribus millibus militum quos antè habueram,& octuaginta equitibus, iter feci in vicum Chabalonem ſitum in confiniis Ptolemaidis: ibíque [c] continebam paratas copias, quaſi geſturus bellum contra Placidum. venerat is cum duabus cohortibus & turma equitum, miſſus à Ceſtio Galla vt incenderet vicos Galilæorum vicinos Ptolemaidi, & cùm ille militem ſuum vallo cinxiſſet non longè à Ptolemaenſiũ mœnibus, ego quoque caſtra metatus ſum procul à Chabalone ſexaginta ſtadiis. quapropter ſæpe militem vtrinque produximus quaſi conflicturi prælio, ſed conatus omnis intra velitationes conſtitit. quippe Placidus quanto auidiorem pugnandi me cerneret, tanto magis ipſe metu detrectabat prælium, nuſquam ſecedens à Ptolemaide. Per idem tempus veniens cum collegis Ionathas, quem miſſum Hieroſolymis diximus

*a Galilæorũ multitudo Ioſephum, ne ſe deſerat, petit.*

*b Ioſephus in Galilæa manſurus, annuit.*

*c Placidus contra Ioſephum.*

mus à factione Simonis & Anani Pontificis, conabatur me per inſidias capere, nō auſus apertè aggredi, ſcripſitq; ad me literas huiuſmodi. Ionathas & collegæ legati Hieroſolymitarum Ioſepho ſalutem. Quoniam [a] Hieroſolymis relatum eſt eius ciuitatis primatibus, Ioannem Giſchalenem ſæpè tibi tetendiſſe inſidias, miſerunt nos vt obiurgaremus hominem, iuberemúſq; in poſterum imperata tua facere. quare vt de tuo quoque cōſilio prouideamus in futurum quid agendum ſit, rogamus quamprimum ad nos non magno comitatu venias: neq; enim vicus hic capit turbam militum. Hæc ita ſcripſerunt alterutrum ſperantes, aut habituros ſe venientem ſine armis obnoxium: aut ſi copias armatas ducerem, iudicaturos perduelem patriæ. has [b] literas quidam eques attulit, iuuenis audax, qui olim Regi militauerat. erat autem hora noctis iam ſecunda, & fortè cum amicis Galilæorúmq. optimatibus diſcumbebam in cōuiuio. cúmque famulus renūciaſſet veniſſe ad me quendam Iudæum equitem, meo iuſſu intrò vocatus ſalutauit neminem. tantum epiſtola prolata, hanc, inquit, tibi mittunt qui nunc venerunt Hieroſolymis: & alij quidem conuiuæ mirabantur frontem militis: ego verò hortatus ſum eum ſedere & nobiſcum cœnam ſumere. quod vbi recuſauit, epiſtolam [c] ita vt acceperam manu retinens, cum amicis fabulabar de rebus aliis: ac paulo poſt ſurgens ablegatis aliis cubitum, retentíſque ſolùm quatuor amicis intimis, & puero iuſſo vinum promere: apertam epiſtolam percurri vidente nemine: & celeriter animaduerſo argumento denuò complicatam tenens manibus acſi nondum legiſſem, iuſſi militi viginti drachmas numerari in viaticū, quibus acceptis cùm egiſſet gratias, intelligens ho-

*a Ionathas Ioſepho ſcribis.*

*b Eques Ioſepho literas affert.*

*c Ioſephi calliditas.*

minem lucri eſſe cupidum, & hoc facilè expugnabilem: Si inquam nobiſcum potare volueris accipies drachmam in ſingulos cyathos. accepit ille conditionem, & multum vinum ingurgitás quò plus mereret pecuniæ, iámq; ebrius ſecreta continere nõ potuit: ſed nemine rogante vltro faſſus eſt ſtructas mihi inſidias, & quòd damnatus eſſem capitis. Quibus auditis reſcripſi ad hunc modum. Ioſephus Ionathæ & eius collegis ſalutem. Quòd [a] valetis, quódq; in Galilæam veniſtis gaudeo, maximè quia iam poſſum traditis vobis rerũ gubernaculis reuerti in patriã, cuius reuiſendæ iampridem deſiderio teneor. quamobrem libenter ad vos non ſolum in Xallo venirem, ſed longius etiam, vel ſi nemo me acceſſeret. Veniam tamen dabitis non valenti nunc id facere. apud Chabolonem enim manendum eſt, & obſeruandus Placidus, ne, quod conatur, irrumpat in Galilæam. præſtat igitur vt ipſi vos huc cõferatis ad me lecta hac epiſtola. Valete. His literis datis ad perferendum militi, miſi cum eo triginta Galilæorum nobiliſſimos, iuſſos ſalutare tantum homines illos, & nihil dicere præterea. additis etiã ſingulis militibus fidis in ſingulos, qui obſeruarent ne miſſi à me aliquod haberent cum Ionatha colloquium. Poſt horum diſceſſum, legati fruſtrati prima experientia, aliam [b] epiſtolam mihi ſcripſerũt talem. Ionathas cæteríque legati Ioſepho ſalutẽ. Denunciamus [c] tibi vt abſque militibus ad tertium diem venias ad nos in oppidum Gabara, cogituros de Ioanni obiectis per te criminib. His ſcriptis & conſalutatis Galilæis quos miſerã veniunt in Iapham vicum Galilææ maximum & munitiſſimum refertúmque habitatoribus, vbi excepti ſunt clamoribus plebis vociferantis vnà cum mulieribus ac pueris, abirent. & ſinerent

*a Ioſephi ad Ionathã reſponſoriales.*

*b Ioſephi ad Ionathan mandata.*

*c Alia Ionatha ad Ioſephum epiſtola.*

ſinerent ſe frui duce optimo. eadémque erat vox omnium, nullius niſi Ioſephi ſe parituros imperio. Itaque [a] legati hinc diſcedentes infecto negocio Sephorim ſe conferunt vrbem Galilææ maximam: cuius incolæ ſtudioſi Romanorũ venientibus quidem prodierunt obuiam: de me autem nihil dixerunt, nec in laudem nec in vituperium. at poſtquam inde deſcenderunt in Aſochim, qualibus apud Iaphenos, excepti ſunt clamoribus: nec iam cohibentes iracundiam, iubent ſuos milites, vt fuſtibus acclamatores illos abigant. Gabara autem venientibus præſtò fuit Ioannes cum tribus militũ millibus. At ego qui iam ex literis præſenſeram quòd bellum mihi inferre decreuerint, aſſumptis tribus millibus militum, relictóque in caſtris quodam amico fidiſſimo, recepi me in Iotapata, vt vicinus eis eſſem ad quadrageſimum ſtadium: ſcripſíque eis in hunc modum. Si [b] omninò vultis vt ad vos veniam, quadringenti quatuor in Galilæa ſunt, vici partim, partim oppida. ad horum quemlibet veniam abſque Gabaris & Giſchalis. altera enim patria eſt Ioannis, altera ſocia & amica ciuitas. His [c] literis receptis legati non reſcripſerunt amplius, ſed aduocato amicorum concilio, & Ioanne quoque adhibito, conſultabant quomodo me poſſent aggredi. cenſebat Ioannes ſcribendum eſſe ad ſingulos Galilææ vicos & oppida: eſſe enim in ſingulis vnum ſaltem & alterũ mihi infenſum: eos prouocandos quaſi contra hoſtem publicũ. idem decretum mittendum Hieroſolyma, vt & eius vrbis ciues cognito iudicatum me eſſe hoſtem à Galilæis, cõfirment eam ſententiam ſuo ſuffragio. ita fore vt præſenti Galileorum fauore deſtituar. hoc conſilium aſſenſu cæterorum comprobatum eſt: móxque circa horam noctis

*[a] Hieroſolymitani legati in Galilæa haud accepti.*

*[b] Ioſephus legatis iterũ ſcribit.*

*[c] Legatorũ Hieroſolymitanorum aduerſus Ioſephum conſultatio.*

[...]rtiam ad me eſt perlatum, renunciante Sacchæo transfuga. Quamobrem videns non eſſe cunctandi tempus, Iacobum virum fidelem ac ſtrenuum iubeo [a] cum ducentis militibus obſeruare vias ferentes à Gabitis in Galilæam, & viatores comprehenſos ad me mittere, maximè apud quos reperiantur literæ, adhæc Hieremiā & ipſum ex amicorum meorum numero cum ſexcētis militib. miſi in fines Galilææ quà itur Hieroſolymas, iuſſum latores epiſtolarum intercipere, & ipſos quidem coniicere in vincula, literas verò ad me tranſmittere. His mandatis, edixi per nuncios Galilæis vt in craſtinum eum armis & trium dierum cibariis ad Gabara mihi præſtò ſint. eis [b] verò quos circa me habebam militibus in quatuor partes diuiſis fidiſſimos ſatellitum præfectos conſtitui, iuſſos neminem ignotum militem inter ſuos admittere. Poſtera verò die circa horam quintam veniens Gabara, inuenio ante oppidum totum campum plenum armatis quos è Galilæa excieueram in auxilium, & præter hos magnam ruſticani vulgi multitudinem. in quorum cœtu poſtquam concionaturus conſtiti, omnes acclamabant, benefactorem appellantes me & ſeruatorem ſuæ patriæ. tum ego actis pro fauore gratiis, ſuaſi eis ne infeſtarent neminem, contentiq; commeatu proprio è caſtris ad diripiendas villas non excurrerent. velle enim me omnem tumultum abſque cęde componere. euenit autem vt qua primum die cuſtodes viarum diſpoſui, tabellarij Ionathæ in eos inciderent, quibus ita vt iuſſeram detentis in cuſtodia, poſtquam perlegi literas legatorum plenas conuiciis & mendaciis, ſilentio diſſimulans ire ad eos decreui. at [c] illi audito meo aduentu, cum omnibus ſuis & Ioanne receperunt ſe in Ieſu domiciliū: id erat turris magna, & nihil

*a Ioſephus in Galilæa vias obſeruat.*

*b Ioſephus cum copijs contra Gabara proficiſcitur.*

*c Hieroſolymitanorum legati in Ieſu domiciliū ſeſe recipiunt.*

& nihil ab arce differens. ibi abdita cohorte militũ,& clauſis abſq; vna ianuis, expectabant me ad ſalutãdum ſe venturum ex itinere: iuſſis prius militibus vt venientem me ſolum intromitterent excluſis cæteris, ſic enim putabant me facilè poſſe in ſuam poteſtatem redigi: ſed fefellit eos opinio. olfaciens enim inſidias quã primùm eò perueni, ingreſſus è regione eorum ſitum diuerſoriũ, dormire me finxi, legati verò credentes me verè ſopitum quieſcere, deſcendentem in campum ſollicitabant multitudinem, vt me malè ducis officio fungentem deſererent: ſed contra quàm ſperabant accidit. ad primũ enim eorum conſpectũ exortus eſt clamor Galilæorum, teſtantium qua me pro meritis complecterentur beneuolentia: incuſabántq; legatos quòd nulla laceſſiti iniuria veniſſent ad turbandam tranquillitatem publicam, abire iubentes, eo quòd nón admiſſuri eſſent præfectum alium. his[a] mihi renunciatis non dubitaui in medium progredi. itaque properè deſcendi auditurus quid legati afferant. ibi procedenti mihi applauſum eſt certatim ab omnibus, & acclamatũ ab agentibus gratias pro rebus adminiſtratis optimè. his auditis Ionathas & cęteri extimuerunt ne ſalutis periculum adirent, incurſu tantopere fauentis mihi populi, cogitabántq; aufugere. ſed quia non erat id eis liberum, me poſtulante vt maneant, ſtabant mœſti vix rationis compotes. Igitur cohibitis turbæ acclamationibus, & fidiſſimis militum ad vias ſeruãdas appoſitis, ne nos inopinos Ioannes inuaderet; iuſſiſque in armis eſſe omnibus, ne quis repentinus hoſtium incurſus terrorem eis incuteret, primum[b] literarum mentionem feci, quibus ad me ſcripſerant, miſſos ſe à Hieroſolymitanorum ciuitate, ad finiendas inter

a *Ioſephus in medium hoſtium progreditur.*

b *Ioſephus legationis fidem exprobrat.*

me & Ioannem controuerſias, méque ad comparendum euocauerunt: móxque ne inficiari poſſent, protuli ipſam epiſtolam. atqui, inquam, ſi contra Ioannis criminationes apud te Ionatha tuóſque collegas reddenda eſſet mihi vitæ ratio, adductis [a] pro me duobus tribúſve probis viris teſtibus, neceſſe fuiſſet approbatis teſtib. & examinatis teſtimoniis abſolui me veſtra ſententia. nunc verò vt ſciatis benè à me adminiſtratas res Galilææ, nolo tres teſtes probitatis adducere, ſed hos omnes vobis exhibeo. ab his rationem vitæ meæ poſcite, an cum omni honeſtate & iuſtitia eis præfuerim. Vóſque viri Galilæi adiuro ne veritatem celetis, ſed coram his tanquam iudicibus proferatis ſi quid à me peccatum eſt. nondum hæc verba finierã cùm vna omnium vox exoritur, benefactorem [b] me ſuum & ſeruatorem appellantium: anteactáque omnia ſuo teſtimonio probantium, & vt in poſterum mei ſimilis eſſe pergerem rogantiũ. affirmabant etiam iureiurando omnes ſaluã eſſe per me vxorum ſuarum pudicitiam, & nullam ſibi vnquam à me illatam moleſtiã. Poſt hæc [c] duas Ionathæ epiſtolas à cuſtodibus meis interceptas & ad me delatas, audientibus multis Galilæis legi maledictis refertiſſimas, méque falſo inſimulantes quòd tyrãnum verius quàm ducem agerem. multáque alia continentes per ſummam ficta impudentiam. has literas dicebã mihi vltrò oblatas à tabellariis, nolens aduerſarios ſcire de cuſtodiis, ne abſterrerẽtur à mittendis poſthac literis. at [d] concio commota in Ionatham atque collegas quaſi interfectura irruit, & patratum fuiſſet facinus, niſi furentes à me fuiſſent cohibiti. legatis verò pollicitus ſum errati veniam, ſi reſipiſcerent, & in patriam reuerſi vera de adminiſtratione mea referrent.

his

[a] *In duorũ aut trium ore conſiſtit veritas.*

[b] *Teſtimonium Galilæorum de Ioſepho.*

[c] *Ioſephus Ionathæ epiſtolas perlegit.*

[d] *Ira & furor Galilæorum in Ionatham & collegas.*

his dictis eos dimiſi, quamuis ſcirem non factu-
ros pollicita. populus autem efferebatur in eos,
rogans vt pœnas ſumere de illis ſinerem. itaq;
omnibus mihi vtendum fuit artibus quò eos e-
riperem, quòd ſcirem omnem ſeditionem per-
nicioſam eſſe Reipublicæ. multitudo porrò per-
ſtabat in iracundia, vnóq; impetu omnes rue-
bant ad Ionathæ diuerſorium. ego [a] verò videns
eos non poſſe retineri amplius, conſcenſo equo
edixi, vt ſequerentur me ad Sagonem vicum
Arabum, diſtantem inde viginti ſtadiis. atque
hoc ſtratagemate caui ne viderer ciuilis belli
feciſſe principium. poſtquam autem ventũ eſt
prope Soganam, iuſſi agmen ſiſtere: monitíſq;
ne eſſent ad iniquam iram tam præcipites, cen-
tum [b] ætate ac dignitate præſtantes deligo, qui
ſe parent profecturi Hieroſolyma, & accuſaturi
apud eum populum autores ſeditionum & tur-
batores ſuæ Reipub. Mandaui præterea, vt ſi
poſſent populum oratione ſua flectere, impe-
trarent publicas literas, quibus mihi confir-
maretur præfectura Galileæ, & Ioannes iubere-
tur inde diſcedere. Cum his mandatis celeri-
ter expeditos tertia die poſt concionem dimi-
ſi, additis qui eos deducerent quingentis mili-
litibus. Samariam quoque amicis ſcripſi, darent
operam vt legati per eorum agrum iter tutò fa-
ciant: iam enim ea vrbs Romanis erat ſubdi-
ta: & illac neceſſariò fuit eundum properanti-
bus & ſequentibus viarum compendia: vt ter-
tia die peruenirent Hieroſolyma. quin & ipſe
eos deduxi vſque Galilææ confinia, appoſitis
per vias cuſtodibus, vt non facilè quiuis diſceſ-
ſum legatorum cognoſceret, quo facto aliquan-
tiſper apud Iapha moratus ſum. Ionathas [c] au-
tem & collegæ ſuo conatu fruſtrati remiſerunt
Ioannem & Giſchala: ipſi deinde profecti ſunt.

a *Ioſephus ſeditionem abſque ſanguine effuſo compeſcit.*

b *Ioſephus 100. legatos Hieroſolyma mittit.*

c *Legati Tiberiadem in ſuam poteſtatem redigere conantur.*

Tiberiadem, ſperantes eam in ſuam poteſtatem venturam, quandoquidem Ieſus tunc magiſtratum ibi gerens per literas erat pollicitus, perſuaſurum ſe populo vt ad eos deficiat. illi igitur cum hac ſpe iter ingreſſi ſunt, mihi autem rem totam Sila per nuncium ſignificat, relictus ibi, vt dixi, vicarius, redire me quàm primùm poſtulans. cuius [a] monitu reuerſus properè in ſalutis diſcrimen talem ob cauſam incidi. Ionathas & ſocij Tiberiade multos aduerſæ mihi factionis ciuium ad defectionis conſilia pertraxerant: quare aduentu meo territi, confeſtim ad me venerunt: ac primùm mœſtū animi dicẽtes, gratulabantur mihi præſentem honorem partum ex optima adminiſtratione Galilææ: eã enim gloriam in ſe quoque redundare, quorum & ciuis eſſem & diſcipulus. deinde [b] meã quàm Ioannis amicitiam ſe malle profeſſi, iubebant vt me domum conferrem, promittentes effecturos ſe mox vt ille in manus meas perueniat: atque hæc religioſiſſimo apud nos ſacramento confirmarunt, cui nefas putarem non credere. poſt hæc rogauerunt vt aliò ſecederem, quòd inſtaret ſabbatū. nolle enim ſe aliquid tumultus excitare in Tiberienſium populo. tum ego nihil ſuſpicatus iui Taricheas, relictis nihilominus in ciuitate qui curioſè obſeruarent ſermones de me hominum. per totam etiam viam ferentem à Tarichæis Tiberiadem certos diſpoſui, qui à relictis in ciuitate cognita & quaſi per manus tradita, ad me deferrent. Sequenti [c] igitur die populus conuenit in Proſeucham quam vocant, precationis domum amplam & capacem tantæ multitudinis: quò poſtquam venit & Ionathas, non auſus apertè defectionis mentionem facere, dixit opus habere ciuitatem præfectis melioribus. At Ieſus ſummus magi-

*a Ioſephus in diſcrimẽ incidit.*

*b Ionatha eique adhærentium dolus.*

*c Populus in Proſeucham conuenit.*

magiſtratus nihil diſſimulans, præſtat, inquit, ô ciues, obedire nos quatuor viris quàm vni, præſertim illuſtri ortis genere, & prudentiæ nomine celebribus, ſimul oſtendens cum ſuis collegis Ionathã. hæc verba Iuſtus collaudans pertraxit ciuium quoſdam in ſuam ſententiam: Plebs autem non aſſentiebat horum orationibus, & dubio procul exorta fuiſſet ſeditio, niſi [a] concionem ſolu. ſſet ſexta hora ſuperueniens, quæ noſtros ad prandium vocare ſolet ſabbatis. ita legati conſultatione dilata in diem poſterum, abierunt infecto negocio. quibus confeſtim mihi renunciatis, decreui manè venire Tiberiadem: cúmque illuxiſſet diei ſequentis initium à Taricheis eò veniens offendi congregatum iam in Proſeucha populum, nondum ſatis ſcientem ad quid conuenerit. Tum legati præter expectationem me viſo valdè ſunt territi. Tandem [b] in mentem eis venit rumorem ſpargere, viſos eſſe Romanorum equites in finibus eius agri ad locum qui Homonœa dicitur: quo data opera crebreſcente, iidem ipſi autores eius vociferabantur, non permittendos hoſtes ita impunè populari agrum in conſpectu omnium. quod ideo faciebant, vt me digreſſo ad ferendas colonis ſuppetias, ipſi interim vrbem occuparent alienatis à me animis ciuium. at ego licet ſcirem ipſorum propoſitum, feci tamẽ quod voluerunt, ne viderer contemnere Tiberienſium pericula. progreſſus igitur ad dictum locum poſtquam ne veſtigiũ quidem vidi hoſtium, reuerſus itinere properato offendi conueniſſe vnà ſenatum ſimul & populum, & legatos apud concionem prolixa accuſatione in me inuehi, quòd neglecta belli cura propriis tãtum indulgerẽ voluptatibus. His [c] dictis proferebãt quatuor epiſtolas, quaſi ſcriptas ad ſe à Ioſephi

*a Iudæorum hora ſexta nobis eſt vndecima vel duodecima meridies.*

*b Ionathæ & collegarum aſtus.*

*c Accuſatio & epiſtolæ falſæ legatorum contra Ioſephum*

Galilææ extremos eius regionis fines tuentibus, & implorantibus ſuum auxilium. His auditis Tiberienſes creduli clamare cœperunt non deſidendum eſſe vlterius, ſed ferendam opem tribulibus in tanto periculo. ego [a] contrà legatorum fucum intelligens, aio me ſine mora iturũ quò belli vocet neceſſitas: ſed quia è diuerſis quatuor locis literæ venerint, Romanorum incurſiones nunciantes, oportere in totidem partes diuiſis copiis, ſingulos legatorum præfici ſingulis. decere enim viros fortes nõ cõſilio ſolùm rem laborantem iuuare, ſed ductu etiam ſuo & auxilio, me enim non poſſe niſi vnam exercitus partem ducere. Placuerunt hæc multitudini, móxque cogebat & ipſos exire ad obeunda ducum munia. at illi vehementer animo turbati ſunt, conatu ſuo fruſtrato per machinationes à me oppoſitas. Ibi [b] vnus eorum Ananias nomine, vir malus & maleficus, ſuadet indici publicum ieiunium in diem poſterum, vtq; ad eandem horam omnes in eundem locũ inermes conueniant, nimirum agnoſcẽtes ſine diuina ope nihil agi armis hominum. hæc autem non pietatis ergò dicebat, ſed vt me exarmaret vnà cum meis militibus. tum ego quoque obediui neceſſariò, ne viderer piam admonitionẽ contemnere. Itaq; [c] digreſſis domum omnibus Ionathas & collegæ ſcribũt Ioanni, vt ad ſe manè veniat quanto poſſit comitatu militum. facilè enim me in ſuam poteſtatem redacto voti fore compotẽ. ille acceptis literis libenter paruit. Poſtera die ſatellitum duos fortiſſimos ac fidiſſimos iubeo celatis ſub veſte breuibus gladiis mecum prodire in publicum, vt nos poſſemus defendere contra inimicorum, ſi qua exiſteret, iniuriam: ipſe quoque thorace indutus & accinctus gladio quàm occultiſſimè in

[a] *Ioſephus legatorũ fucum intelligit.*

[b] *Ananias vnus ex legatis, vir malus & maleficus.*

[c] *Ionathas Ioanni vt ad ſe veniat, ſcribit.*

Proſeu-

Proſeucham ad precandum conueni. Ieſus autẽ me cum amicis ingreſſo, aſtans foribus reliquorum ex meis admitti permiſit neminẽ. Iámq; [a] nobis ritu patrio precationes inceptantibus, exurgens Ieſus ex me quærit de ſuppellectile incenſæ Regiæ rudíque argento, apud quem ſint hæc depoſita, quorum ideo tum mentionẽ faciebat, vt tempus in Ioannis aduentum tereret: reſpondi Capellam habere omnia, & decem illos Tiberienſium ciues primarios: iuſsíque vt ex ipſis ſcitaretur an vera loquerer. Quibus habere ſe fatentibus, quid [b] inquit, illi viginti aurei quos argenti rudis certo pondere vendito recepiſti, in quem vſum à te conuerſi ſunt? Et hos, inquam, dedi in viaticum legatis miſſis Hieroſolyma, ad hæc Ionathas & collegæ reſpõderunt, non rectè factũ quòd legatis ex publica pecunia mercedẽ ſoluerim. Plebe autem commota ob euidentẽ hominum maliciã, cùm intelligerem nõ procul à ſeditione rem abeſſe: volens magis etiam contra eos irritare populũ. Si, inquam, malè factum eſt quòd legatis mercedem dedi ex publico, non eſt cur moleſti mihi ſitis amplius. nam ipſe perſoluam iſtos viginti aureos. tum populus tãto magis accenſus eſt, quanto euidentius erat iniquum illorum in me odium. Tum Ieſus videns rem cõtra quàm ſperabat ſuccedere, iuſſit ſolo ſenatu remanente abire cæteram multitudinem. neque enim per tumultum poſſe inquiſitionem de tanto negocio fieri. populo [c] autem reclamare nunquam fore vt me ſolum inter eos deſerant, venit quidam clam Ieſu nũcians, non longè abeſſe Ioannem cum armato milite. Tum Ionathas non amplius ſe cõtinens, Deo fortaſſe ſic saluti meæ proſpiciente, alioquin enim non euaſiſſem Ioannis impetum: Deſinite, inquit, Tiberienſes de

a *Ioſephi cũ Ieſu colloquium.*

b *Ioſephi cũ Ieſu de 20. aureis rixa.*

c *Amor multitudinis erga Ioſephũ.*

viginti aureis inquirere. non enim meretur Ioſephus propter hos ſupplicium: ſed quia tyrãnidem affectat, & principatũ ſibi parauit decepta imperita multitudine, & cum dicto interfecturi conabãtur mihi manus iniicere. quo viſo mei comites ſtrictis gladiis intentando vulnera abſterruerũt eos, ſimúlq; populus ſublatis lapidibus ferire volens Ionatham, eripuerunt me ab inimicorũ violentia. cúmq; [a] paulũ progreſſus incidiſſem in viã per quã Ioannes veniebat cũ manu militũ, territus deflexi per quendã angiportum ad lacũ: atq; ita conſcenſa naue Taricheas euaſi: tantũ non oppreſſus inopinato periculo. Quamobrẽ [b] accerſitis mox Galilæorũ primatibus, denarraui eis quomodo præter ius & fas pene occiſus fuerim à Ionatha & Tiberienſibus. qua iniuria concita tota Galilæorũ multitudo hortabatur ne cũctarer inimicis bellũ inferre, ſed ſinerẽ eos ire, ipſúmq; Ioannẽ Ionatham atq; collegas delere funditus. attamẽ cõpeſcebã eorum iracundiã, expectare iubẽs donec cognoſcamus quid nã legati noſtri à Hieroſolymitanorum ciuitate affetãt. aiebãt enim oportere nos nihil citra eorum aſſenſum agere. his verbis perſuaſi ſunt. Ioãnes autẽ tunc quoq; irrito conatu reuerſus eſt Giſchala. Poſt [c] paucos aliquot dies legati noſtri reuerſi nunciabãt Hieroſolymitanum populum valde iraſci Anano & Simoni Gamalielis filio, quod abſq; conſilio publico legatis miſſis conati ſint me dimouere à præfectura Galilææ, aiebántq; minimum abfuiſſe quin ædes eorũ incenſæ ſint à populo. attulerunt etiam literas, quibus Hieroſolymorũ primates ex autoritate populi, cõfirmabant me Galileis præſidem: ſimúlq; Ionatham & collegas eius iubebãt quantocyus domum repetere. His [d] literis receptis veni in vicum Arbela quo

*a Ioſephus penè oppreſſus inopinato periculo euadit.*

*b Ioſephus Galilæorum primatibus Ionatha & Tiberienſiũ iniurias denarrat.*

*c Centum legati Hieroſolyma reuerſi.*

*d In Arbela cõuentus.*

Galilæorum cõuentum indixerã: vbi iuſſi legatos narrare quàm indignè Hieroſolymitani tulerint Ionathæ maliciam, quódq; eius regionis præfecturam ſuo decreto mihi ratam fecerint, & Ionatham cum ſuis iuſſerint inde decedere: ad quos confeſtim tranſmiſi eam epiſtolam, obſeruare iuſſo tabellario, quidnam facturi ſint. illi [a] recepta epiſtola territi non mediocriter, accerſunt Ioannem & ſenatores Tiberienſium, & primates Gabaræ, conſulentes eos quidnã oporteat facere. Tiberienſes igitur cenſebant debere eos conſtanter obtinere adminiſtrationẽ Reip. nec deſerere vrbẽ quæ ſemel ipſorum fidei ſe commiſerit, maximè cùm ego eos vellem inuadere. hoc enim me minatũ mentiti ſunt. idẽ probabat & Ioannes, addens duos mittẽdos eſſe è collegis Hieroſolyma qui me accuſent apud populũ, quòd non rectè curẽ res Galilææ: dicens id perſuaſuros facilè, tum ob ipſorum autoritatem, tum quòd omne vulgus natura ſit mobile. Placuit Ioannis ſententia: móxq; Ionatham cũ Anania mittunt ad Hieroſolymitanũ populum, reliquis duobus manentibus apud Tiberiadem. deducebantur autem ſecuritatis cauſa à centum è ſuis militibus. Tiberiẽſes [b] porrò ſatis diligẽter mœnibus, iuſſerunt habitatores vrbis arma ſumere: & à Ioanne qui tum Giſchalis erat, acciuerunt non paucos milites, qui ſibi eſſent, ſi ita ſors ferret, contra me præſidio. Interim [c] Ionathas cum ſuis iter faciẽs vt venit Darabitta, qui vicus in Magno campo ſitus eſt in extremis Galilææ finibus, media nocte in ſtationem meorũ militum excubantiũ incidit: qui iuſſos arma ponere, aſſeuerarunt vinctos quo loco mandaueram. mihi autem Leui eorum militum præfectus rem totam ſignificat. itaq; per biduũ diſſimulato negocio, per nũcios hortatus ſũ Tiberië-

a *Ionathæ & collegarum aduerſus Ioſephum conſilium.*

b *Tibérienſes Ioſepho bellum inferre cogitant.*

c *Ionathas cum ſuis captus.*

ſes, vt ab armis diſcederent. at illi rati Ionathā iam perueniſſe Hieroſolyma, nihil reſponderunt præter conuicia. nec tamen ſum deterritus, quò minus arte contra eos vterer, nefas ducens belli ciuilis initium facere. Volens igitur eos extra mœnia prolicere, ſelecta militū decē millia diuiſi trifariam. Horum partem ſubſidētem Doris occultè collocaui: mille vero in alio vico montano ſimiliter diſtante quatuor ſtadiis à Tiberiade, expectātes dum ſignum procurrēdi acciperent. ipſe vico egreſſus ſubſtiti in propatulo. id [a] videntes Tiberienſes procurſabant cōtinuò iacientes amarulenta dicteria: tantáq; eos tum inſania corripuit, vt propoſita funebri lectica ornata magnificè, circa eam me videlicet lamentarentur per ludibrium. at ego tacitus fruebar eorum ſtultitia. Volens [b] autem Simonem per inſidias intercipere & cum eo Ioazarum, rogaui vt paulum extra vrbem cū amicis & ſtipatoribus ſecuritatis cauſa procederent. Velle enim me per colloquium fœdus cum eis ferire, & prouinciæ curam diuidere. Tum Simō ſtultitia ſimul & lucri cupidine captus non recuſauit venire: Ioazarus verò inſidias ſuſpicatus remanſit. aduenientem igitur Simonem comitatum amicis & corporis cuſtodibus excepi humaniter, gratias agens quòd venire dignatus ſit. paulo verò poſt inambulādo, quaſi ſine arbitris dicturus aliquid ſeductū ab amicis longius, mediúmque arreptum ſublimem meis tradidi perducendum in vicum proximum: datóque ſigno militibus, petebam cum eis Tiberiadem. cúmq; vtrinque coortū eſſet acre prælium, noſtris iam cedentibus cohortatione animum reddidi, & Tiberienſes tantum non victores intra mœnia compuli, immiſſa deinde alia manu per lacum, mandaui vt quam domum primam occupaſſent incen-

a *Tiberienſes in Ioſephum amarulenta dicteria iaciunt.*

b *Simonem Ioſephus per inſidias capit, & abducit.*

incenderent:quo [a] facto Tiberienſes vi captam vrbem rati,abiectis armis ſupplicabant cũ mulieribus & pueris vt victis parcerem. ego verò precibus flexus, impetum militum cohibui: & dato receptui ſigno iã veſpere ad curandũ corpus abij: adhibitóq; Simone ad conuiuium,cõſolabar hominem, promittens remiſſurum me eum Hieroſolyma inſtructum viatico & deductoribus ſecuritatis cauſa additis. Inſequẽti verò die cum decem armatorum millibus Tiberiadem ingreſſus ſum:& accitis in ſtadium primatibus populi iuſſi quinam eſſent defectionis autores dicere.eos indicatos iniectis [b] vinculis miſi Iotapam. Ionatham autem & collegas ſolutos,numerato etiã viatico,militibus quingentis deducendos Hieroſolyma tradidi. Deinde Tiberienſes iterum ad me conueniunt orantes veniam, & quod hactenus ceſſatum ſit repenſuros ſe pollicentes futuris officijs: rogabántque [c] vt direpta bona veterib. dominis reſtituerem, mox igitur edixi vt omnia conferrentur in medium. cúmq; cunctarentur milites, quendã ex eis cõſpicatus cultiorem ſolito,ſcitatus ſum vnde eam veſtem nactus ſit:& faſſum rapina eſſe partam,caſtigaui verberibus,omnibus grauiorẽ pœnam comminatus niſi proferrent quicquid rapuerant: congeſtáque præda plurima ſingulis ciuiũ agnoſcentibus ſua reddidi. Hoc [d] loco libet paucis reprehendere Iuſtũ huius argumenti ſcriptorem, cæteróſq; qui hiſtoriã pollicitis veritate neglecta non verentur ad gratiã odiúmve mendacia poſteritati prodere:nihil enim ab inſtrumentorũ falſatiis differunt,niſi quòd hos magis corrumpit impunitas,Is vt videretur benè tempus inſumere, res hoc bello geſtas ſcribere aggreſſus,multa mentitus de me,ne de ſua quidem patria vera loquutus eſt. quamobrem

a *Ioſephus Tiberiadem capit.*

b *Ioſephus defectionis autores iniectis vinculis Iotapam mittit.*

c *Ciuibus direpta bona reſtituuntur.*

d *In Iuſtum Hiſtoriographum, Ioſephum falsò inſimulantem.*

nunc mihi incumbit neceſſitas, vt ad coarguenda quæ de me falſo teſtatus eſt, proferam quæ hactenus ſilui. nec mirum videri debet, quòd tã diu id facere diſtulerim. hiſtoricum enim dicere quidem vera neceſſe eſt, licet tamen ei non inuehi in malos acerbius, nõ quòd illi hac gratia digni ſint, ſed propter ſeruandã modeſtiam.

*a Criminum à Iuſto Ioſepho obiectorũ depulſio.*

Vt [a] igitur ad te iam ſermonem vertã Iuſte hiſtoricorum tuo teſtimonio grauiſſime, quomodo ego & Galilæi in cauſa fuimus, vt patria tua deficeret à Rege ſimul & Romanorũ imperio? quandoquidem priuſquã ego ex decreto ciuitatis Hieroſolymitanæ in Galilæam dux mitterer, tu cum tuis Tiberiẽſibus armis correptis populariter auſi eſtis infeſtare etiam Syrorum Decapolim. Tu enim illorum vicos incendiſti, & in illo conflictu tuus famulus cecidit. atq; hæc nõ à me tantum dicuntur, ſed & in Veſpaſiani imperatoris cõmentarios relata ſunt: quódq; apud Ptolemaidem Decapolitani crebris clamoribus flagitauerunt vt imperator de te pœnas ſumeret, nimirum autore calamitatum ſuarum omnium. feciſſẽtq; id ſine dubio, niſi Agrippa Rex te ſibi ad ſupplicium deditum, donaſſet ſororis Berenices precibus, ſeruatũ tamen longo tempore in cuſtodia, quin & ea quæ pòſt geſſiſti in Republica, ſatis declarant tum vitam tuam reliquam, tum quòd defectionis à Romanis autor ciuibus tuis fueris: id quod euidentibus argumentis paulo pòſt docebimus. nunc etiã alii Tiberienſes propter te accuſandi ſunt, & docẽdus lector quòd neq; Romanis neq; Regi fideles amici fueritis.

*b Sepphoris & Tiberias maximæ Galilæarum vrbes.*

Vrbiũ Galilæarũ maximè ſunt Sepphoris & Tiberias tua Iuſte patria. Sed [b] Sepphoritæ in meditullio regionis ſiti, & habentes circa ſe vicos plurimos, quoniam decreuerant ſeruare fidẽ dominis, & me excluſerunt, & edi-

cto ve-

cto vetuerunt, ne quis ciuium ſuorum Iudæis militare audeat: vtq; à me minus ſibi eſſet periculi, per fallacias induxerunt me prius vt mœnibus vrbem eorum cingerem, quibus abſolutis præſidium ſponte receperunt à Ceſtio Gallo tũ gerente res in Syria, me cõtempto qui tum terrori eram cæteris propter potentiam. Iidem cũ oppugnarentur Hieroſolyma & commune gentis noſtrę templũ eſſet in periculo, non miſerũt ſuppetias ne viderentur arma contra Romanos ſumere. Tua [a] verò Iuſte patria ſita ad lacũ Geneſareticũ, & diſtans ab Hippo triginta ſtadiis, ſexaginta à Gadaris, à Scythopoli cẽtum & viginti, oppidis ditionis regiæ, nulliq; vicina Iudaicarum vrbium, ſi voluiſſet, facilè Romanis fidẽ ſeruare potuit. nã & publicè & priuatim vobis erat armorum copia. Quòd ſi ego tunc in cauſa fui, vt tu Iuſte dicis, quis fuit poſtea? nam me ſcis priuſquã oppugnarentur Hieroſolyma in Romanorũ poteſtate veniſſe, & vi capta Iotapata caſtelláq; multa alia, multóſq; Galilæorum abſumptos pugnis variis. Tunc igitur oportebat vos nihil amplius à me timẽtes arma proiicere, & Regi ac Romanis accedere, ſiquidem nõ vltrò ſe coactos id bellũ ſuſcepiſſe vos dicitis. At vos exſpectaſtis donec Veſpaſianus ad mœnia veſtra omnes admoueret copias. ac tum demũ arma poſuiſtis metu periculi. immò expugnanda erat veſtra ciuitas, niſi Rex excuſata veſtra ſtultitia impetraſſet vobis à Veſpaſiano veniã. nõ mea igitur eſt culpa. ſed veſtra qui hoſtiles geſſiſtis animos. An nõ meminiſtis quoties victoria de vobis potitus neminẽ interfecerim? Vos verò diſſidentes inter vos non propter Regis aut Romanorũ ſtudiũ, ſed propter veſtrã maliciam, centum octuaginta quinq; ciues occidiſtis quo tẽpore ego à Romanis oppugnabar in

[a] *Tiberias Iuſti patria.*

Iotapatis. Quid? an non in Hieroſolymitana obſidione recenſita ſunt Tiberienſiũ duo millia, qui partim ceciderunt, partim viui capti ſunt? An ideo te hoſtem fuiſſe negabis, quia tum ad Regem perfugeras? atqui hoc ipſum te feciſſe aio à me perterritum. Dicis me eſſe malum hominem. Quid [a] tu cui capitis per Veſpaſianũ dãnato Rex Agrippa remiſit ſupplicium: & cum te magna pecunia donaſſet, iterum atq; iterũ coniecit in vincula, totiéſq; egit in exilium: ſemel etiam quem ipſe duci iuſſerat, reuocauit à morte motus Bereuices ſororis ſuæ precibus. poſtea toties in maleficiis deprehẽſum cum te præpoſuiſſet ſcribendis epiſtolis, vt comperit hic quoque te mala fide rẽ agere, in conſpectũ ſuũ venire prohibuit. Sed in hæc diligentius inquirere deſino. Cæterùm [b] tuam demiror impudẽtiam, qui aſſeueras omnibus qui hoc argumentum ſcripſerunt te id tractaſſe melius, cum ne hoc ipſum quidem ſcias, quid in Galilæa geſtũ ſit. eras enim tum apud Regem in Beryto, ac ne Iotapatæ quidem oppugnationẽ cognouiſti, aut quomodo me oppugnatus geſſerim potuiſti diſcere, quãdo nemo ſuperſtes fuit qui tibi renũciare valuerit? ſed fortè dices te exactè perſcripſiſſe quæ circa Hieroſolyma geſta ſunt. & qui potuiſti, cum nec ei bello interfueris, nec legeris Veſpaſiani cõmentarios? non legiſſe te autẽ hinc coniicio: quia ſcripſiſti contrarium. Quod [c] ſi confidis te ſcripſiſſe melius omnibus, cur viuo Veſpaſiano ac Tito quorum auſpiciis id bellum geſtum eſt, & Agrippa ſuperſtite cognatiſque eius viris Græcarum literarum peritiſſimis, non edidiſti tuam hiſtoriam? Ante viginti enim annos eam ſcripſeras, & poteras à conſciis habere teſtimonium. Nunc poſtquam illi nõ ſunt inter nos amplius, nec putas eſſe qui coarguat,

a *Iuſtus capitis ob facinora damnatum.*

b *Iuſtus de bello Iudaico penitus nihil ſciuit.*

c *Iuſtus Veſpaſiano ac Tito defuncto ſuam hiſtoriam edidit.*

auſus

auſus es librum edere. At non ſic ego, neque meis ſcriptis timui: ſed ipſis opus id imperatoribus tradidi cum adhuc recẽs id bellum penè verſaretur in hominum oculis. Conſcius enim mihi eram veritatis ſeruatæ per omnia, vnde ſperatum teſtimoniũ conſecutus ſum. Quin & aliis multis mox communicaui eam hiſtoriã, quorũ nõnulli bello interfuerant, ſicut Rex Agrippa & cognati eius aliquot. ipſe [a] ſanè Titus imperator adeò è ſolis illis libris cognitionem earum rerum homines petere voluit, vt ſua manu ſubſcriptos in bibliotheca publicari iuſſerit. Rex autem Agrippa ſeptuaginta duas ad me dedit epiſtolas, teſtimonium veritatis ferentes, quarum duas ſubieci, vt ex ipſis rẽ tibi cognoſcere liceat. Rex Agrippa Ioſepho ſuo chariſſimo ſalutẽ. Perlibenter [b] legi tuũ librum, in quo mihi videris accuratius hæc ſcripſiſſe quàm cæteri. quare & reliquũ mihi mittito. Vale mi cariſſime. Rex Agrippa Ioſepho ſuo cariſſimo ſalutem. Ex [c] tuis ſcriptis mihi videtur nõ eſſe opus ut de me diſcas aliquid, attamẽ vbi conuenerimus, coràm te docebo quãdã quæ neſcias. Sic ille abſolutæ meæ hiſtoriæ de veritate fuit teſtis, non aſſentando, neque enim id eum decuit: non item per irriſionẽ, vt tu fortaſſe dicturus es, multum enim ab eo abfuit talis ingenij prauitas: ſed in hoc tãtum, vt ipſius teſtimonio lectori commendaretur ſcriptorum meorum veritas. Et hæc quidem ad Iuſtum neceſſario dicta ſint hactenus. Ego porrò compoſitis [d] rebus turbatis Tiberienſium, aduocaui amicorum cõſilium, conſultaturus quid cum Ioanne agendũ ſit. Placuit autem omnibus, vt armatis vniuerſis Galilæorum copiis illum inuaderem, & pœnas de eo ſumerem tanquam autore totius diſſidij. Mihi tamen non probabatur hæc ſententia,

a *Teſtimonia praeclara, de commentariis Ioſephi.*

b *Prima epiſtola.*

c *Secunda epiſtola.*

d *Ioſephus relicto Iuſto ad hiſtoriã redit.*

quòd mallem ſine cæde tumultibus illis finem imponere. quapropter iuſſi eos omnem adhibere diligentiam, vt ſcirentur nomina Ioannem ſectantium, quo facto, & comperto quinam eſſent hi homines: edictũ propoſui, quo data fide inuitabam omnes eius factionis, qui modo reſipiſcerent, ad amicitiam præſcripto viginti dierum termino his qui ſuis rebus vellent conſulere. alioqui ſi in armis permanerent, minabar me incenſis eorum ædibus facultates daturum in prædam populo. his [a] auditis illi non mediocriter perterriti Ioannem deſerunt: & inermes ad me venerunt numero quatuor millia. Soli autem apud eum manſerunt ciues ipſius & mille quingenti mercenarij Tyrij. atque hac arte victus à me ille poſthac in patria metu ſe continuit. Sub idem tempus Sepphoritæ auſi ſunt arma ſumere. freti firmitate mœnium, & quòd me viderent deſtineri rebus aliis. Itaque mittũt ad Ceſtium Gallum tunc Syriæ præſidem, rogãtes, vt aut ipſe citò ciuitatẽ occupet, aut ſaltem mittat eò præſidium: Gallus verò vẽturum quidem ſe promiſit, ſed non ſignificauit quo tempore. at ego id ſentiens cum copiis in eos feci impetum, & [b] vrbem expugnaui fortiter. hanc occaſionem Galilæi nacti, & rati veniſſe tẽpus exſatiandi quibus & Sepphoritas proſequebãtur odia, videbantur funditus deleturi tam vrbẽ quàm incolas: irruentes igitur in vacuas ædes ignem iniiciunt: nam homines metu in arcem refugerant. diripiebantur autem omnia, & nullum modum faciebant deprædandi cognatos homines. hoc animaduertens, & magno dolore affectus iuſſi eos deſinere, admonens nefas eſſe ad eum modum tractare eiuſdem tribus homines, poſtquam verò neque precibus, neque imperio coerceri poterant prægrauantibus odiis, mandaui

a *Quatuor millia militum à Ioanne ad Ioſephum deficiunt.*

b *Expugnatio Sepphoris.*

mādaui amicorum fidiſſimis vt rumorem ſpargerent, diuerſa parte irrupiſſe Romanorum validum exercitum, id autem feci, vt repreſſo Galilæorum impetu ſeruaretur Sepphoritarum ciuitas. Et bene hoc ſtratagema ceſſit, quādo territi tali nuncio relictis rapinis, circumſpiciebant quò fugerent: præſertim cùm viderent me ducem idem facere. ad confirmandum enim rumorem ſimulabam me pariter metuere. Ita Sepphoritæ meo commento præter ſpem ſeruati ſunt. Sed [a] & Tiberias minimum quin diriperetur abfuit ob cauſam huiuſmodi. Primarij quidam ſenatores ſcripſerunt Regi, rogantes, vt veniens ciuitatem reciperet, Reſcripſit ille venturum ſe propediem, & cuidam ſuo cubiculario nomine Criſpo genere Iudæo literas ad Tiberienſes perferendas tradidit. hūc in itinere agnitum & comprehenſum ad me pertraxerunt Galilæi: móxque re cognita vniuerſa multitudo arma corripit, poſtridie verò multi confluentes vndique venerunt Aſochim quò tunc diuerteram, vociferando proditricem eſſe & Regis amicam Tiberiadem: poſtulabántque vt permitterem eos illò profectos funditus ciuitatem diruere: & alioquin Tiberienſes non minus quàm Sepphoritas oderāt. Mihi interim non veniebat in mentē quomodo eam ciuitatē iratis Galilæis eriperem, nā literas Regem vocantes ſcriptas ab eis inficiari non poteram, manifeſtè arguente eos reſcripto regio: itaq. *b* cum diu tacitus mecum cogitaſſem, Tiberienſes, inquam, peccaſſe & ipſe fateor: neque obſiſtam quò minus vobis prædæ ſint. attamē cum iudicio facienda ſunt talia, Non enim ſoli Tiberienſes libertatis noſtræ proditores ſunt, ſed multi præterea Galilæorum nobiliſſimi, expectandum eſt dū ſontes inquiſitione facta comperiam, &

*a Tiberias ferè direpta.*

*b Ioſephus ſecum deliberat.*

tum demũ poteritis omnes ſimul tractare pro meritis. Hæc [a] locutus perſuaſi multitudini, móxque ſedati diſperſi ſunt. Nuncium autẽ illius Regis cum coniecissem in vincula, poſt paucos dies neceſſariam quandam profectionem ſimulans clam accitum monui, vt militem ſuum cuſtodem obrueret poculis, atq. ita ad Regem fugeret. Tiberias autem iam iterum conſtituta in extremo excidij periculo, meo ſtratagemate ſeruata eſt. Eodem tempore iuſtus Piſti filius ad Regem perfugit me inſcio, cauſa autẽ fugiẽdi fuit hæc. Cum primum naſceretur bellum Iudaicum, Tibérienſes decreuerant Regi parere, à Romanis non deficere. Iuſtus verò perſuaſit eos arma capere, ſperans rebus turbatis inuaſurum ſe patriæ tyrannidem. non tamen aſſecutus eſt quod concupiit. Nam & Galilæi Tiberienſibus infenſi recordatione eorũ quæ ante bellum ab eis paſſi fuerant, non [b] ſinebãt Iuſtũ poti i gubernaculis: & ego cum poteſtate miſſus in Galilæam à Hieroſolymitano populo, ſæpenumero adeò accendebar, vt vix à nece temperarem, non ferens Iuſti ſceleratum ingeniũ. Ille igitur veritus, ne ira tandem in cædem prorumperet, ad Regem ſe contulit, ſperans cõmodius & ſecurius apud eum ſe poſſe degere. Sepphoritæ [c] autẽ præter opinionem elapſi è priorẽ periculo, iterum ad Ceſtium Gallum miſerunt, rogantes vt ocyus ciuitatem caperet, aut mitteret aliquam manum militum, quæ incurſiones hoſtium reprimeret: nec prius deſtiterũt, quàm illo mittẽte equites & pedites bene multos, noctu eos reciperent. Vaſtatis deinde circumuicinis agris à Romano exercitu, collectis meis militibus veni in Gariſimam: vbi poſitis caſtris viginti ſtadiorum interuallo procul Sepphori, noctu aſſultum feci ad mœnia: cúmque per ſca-

*a Galilæi cum Tiberienſibus ſedati.*

*b Iuſtus Galilaa Prouincia potiri cupit.*

*c Ioſephus Sephoris mœnia oppugnat.*

